This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

751ds
B14
UC-NRLF
$B 253 052
MAIN
LIBRARY
YB00255

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

OTTO HARRASSOWITZ
LIBRARY AGENT
LEIPZIG

DE

LITE CTESIPHONTEA

COMMENTATIO.

DISSERTATIO

UNIV. OF CALIFORNIA

QUAM SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM CAUSA
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDORUM

SCRIPSIT

JOANNES BAERWINKEL
LIPSIENSIS.

SONDERSHUSAE,
FORMIS FR. AUG. EUPELII.
MDCCCLXXVIII.

UNIV. OF
CALIFORNIA

UNIV. OF CALIFORNIA

II 356

Memorabilis illa lis ab Aeschine Ctesiphonti intenta non modo earum causarum, quibus Demosthenem implicitum fuisse scimus, sed omnium certe, quae unquam Athenis actae sunt, gravissima fuit. Extant, quae hoc testantur, orationes illae, quas antiquae artis oratoriae splendidissima monumenta esse hucusque omnes consentiunt. Quid, quod haec lis uti olim aequalium animos adeo inflammavit, ut undique ex Graecia Athenas convenisse referantur[1]) ad principum oratorum certamen audiendum, sic etiamnunc omnium, qui vel philologi in interpretandis veteribus oratoribus versantur, vel historiae illius aetatis explorandae et enarrandae operam dant, studia valde excitat? Permagnus igitur est numerus virorum doctorum, qui vel philologi vel historici de hac lite orationibusque in ea habitis scripserunt et de difficultatibus, quas praebent, solvendis optime sunt meriti. Verumtamen non iam omnes quaestiones ad eum in quo acquiescamus finem perductae sunt, nec unquam fortasse ommes difficultates prorsus diluentur, quippequum ex ipsis orationibus non satis certum semper ac unice verum iudicium facere possimus, praeter has autem perpaucos tantummodo eosque ne utiles quidem satis et omni ex parte fidos illius aetatis fontes habeamus.

Hoc etsi scio, tamen moveor, denuo ut has quaestiones pro viribus meis quantulaecunque sunt aggrediar, nec verendum esse puto, ne quamvis acute et ingeniose adhuc de eis

---

[1]) Aesch. III, 56. Cic. de opt. gen. or. 7, 22.

471728

sit disputatum, in suspicionem nimiae audaciae incidam aut oleum et operam prorsus perdidisse dicar. Etenim non tam novas cogito proferre sententias, quam diversas iam prolatas comparare et examinare, ut quae maximam prae se ferant probabilitatem pateat. Agere autem mihi proposui primum de dilatione et repetitione litis, deinde de ea Aeschineae orationis parte, qua quod proprie dicitur *παράνομον* continetur, et altero quidem capite de reddendis munerum rationibus (*εὐθύνῃ*), tertio de renuntiatione in theatro facienda (*κήρυγμα ἐν τῷ θεάτρῳ*).

I.

Constat institutam esse litem iam anno Olymp. CX, 4 i. e. 336 a. Chr. n. Tulerat enim Ctesiphon decretum suum de coronando Demosthene, quum hic et theorici munere fungebatur et muros reficiendos curabat. [1]) Curator autem electus erat a tribu sua exeunte anno Olymp. CX, 3 (2. aut 3. die mensis Sciropbor.) ex decreto, quod ipse paulo ante (paenultimo die mensis Thargelionis) rogaverat. [2]) Quum igitur murorum curator esset et simul theorici munus administraret anno Olymp. CX, 4, eodem anno Ctesiphontem rogationem sam proposuisse necesse est, quod Schaeferus paulo ante Dionysiorum sollemnia, quibus, ut corona in theatro pronuntiaretur, in decreto postulabat, ineunte Elaphebolionis mense factam esse bene coniecit. [3]) Intercessit autem Aeschines iureiurando, quum decretum a senatu probatum ad populum ferretur, et paulo post libello archonti

---

[1]) Aesch. III, 12, 24 sq. Dem de cor. 113.

[2]) Aesch. III, 27 cf. A. Schäfer, Demosthenes und seine Zeit, III, p. 73 ann 5.

[3]) l. l. p. 77. ann, 2.

tradito ipsam litem instruxit.[1]) Quae tamen acta est sex demum annis post i e. Olymp. CXII. (330).[2])

Haec tam diuturna publicae causae dilatio, cuius non aliud exemplum invenitur, eo maiorem praebet difficultatem, quo altius de ea est silentium utriusque oratoris: tacet Aeschines tacetque Demosthenes. Quomodo igitur haec tam mira res explicanda est, uter distulit, actor an reus? Cur tacent, quorum utrumque, si alterutrius culpa aut machinatione intermissio facta est, clamasse potius exspectamus? Haec est quaestio difficillima nec unquam diserto deficiente testimonio certo solvi poterit. At ne hac quidem re deterreri debemus, ne quam accuratissime omnes explicandi rationes perpendamus, ut etsi non ipsam veritatem, tamen quam maximam potest verisimilitudinem assequamur. Qua in re viros doctos maxime autem viros praeclarissimos Westermannum et Rauchensteinium[3]) tanta cum diligentia

---

[1]) Ante occisum Philippum, quod ipse testatur Aesch. III, 219. — Quantum temporis inter ὑπωμοσίαν et ipsam accusationem intercesserit, certe dici nequit, quia nescimus, quid hac de re leges praescripserint. Sed quum sine dubio accusarit Aeschines Demosthenem anteaquam is administratorum munerum rationes reddidit, id saltem patet libellum post Hecatombaeonis mensem Olymp. CXI, 1 traditum esse non posse; nam magistratuum euthynas primo sequentis anni mense post actum munus fieri solitas esse constat. cf. Meier, Proz. p. 217., Hudtwalcker: Ueber die Diaeteten oder öffentlichen Schiedsrichter in Athen. p. 21. R. Schöll: de synegoris Atticis. Bene auguratur Schaeferus l. l. paucis modo diebus post intercessionem accusationem ad archontem delatam esse.

[2]) Dion. Halic. ep. ad Am. 1, 12, Plut. Dem. c. 24, Cic. de opt. gen. or. c. 7.

[3]) Mira dilationis diuturnitas oratorumque de ea silentium Westermannum olim adeo offenderunt, ut his praecipue commotus commentatione, quam scripsit „de Aeschinis oratione adversus Ctesiphontem" quamque postea repeti curavit in Quaestt. Demosthen. III. p. 61—94, demonstrare studeret vulgatam sententiam de iudicii tempore esse falsam; Aeschinis orationem, qualis nunc legitur, scriptam quidem et editam esse Olymp. CXII. demum a. 3, ipsam autem causam oratam iam quadriennio prius i. e. Olymp. CXI, 2. Adversus hunc Rauchensteinius libello, qui inscribitur: „De tempore, quo Aeschinis et Demosthenis orationes Ctesiphonteae habitae sint," vulgarem opinionem tam gravibus argumentis defendit, ut W. quamquam „Epistola ad Rauch.

et sagacitate versatos esse video, ut vix quidquam maioris momenti inveniatur, quin iam sit prolatum et consideratum. Qua re hanc quaestionem non fusius retractabo, immo satis habebo diversas rationes perlustrare meamque de his sententiam paucis adumbrare.

Primum igitur ex silentio oratorum concludendum videtur esse dilationem nec actoris nec rei culpa natam esse, sed causam eius in ipsa litis natura et in reipublicae condicione positam fuisse.[1]) Et profecto quum Aeschines accusatione sua in universam Demosthenis vitam privatam et publicam invectus esset, causa erat insignis et talis, ut utrique multa et difficili praeparatione opus fuisse consentaneum sit. At tamen rem tantum temporis spatium exegisse, quis credat? — At tempora erant turbulentissima! Sane, sed etiamsi his in explicanda re summum momentum tribuendum erit, tamen inde non sequitur omnino non potuisse actionem prius fieri; immo, si voluissent, sine dubio non magis erat difficile statim aut brevi interiecto spatio, quam sex demum annis post in certamen descendere. Patet igitur non externa quadam necessitate invitis litigantibus causam tamdiu dilatam esse.

Jam quum appareat proximam diuturnae intermissionis causam in ipsorum litigantium valuntate fuisse positam, neuter autem exprobret alterum actionem traxisse, quid reliquum videtur esse nisi, ut credamus eandem dilationis culpam in utrumque cadere? Haec sententia summam veri speciem habet, eoque probabilior videtur, quo melius ita si conicimus, omnes difficultates diluuntur. Nihilo minus puto hanc non prorsus veram, immo culpam, quamquam neuter plane ab ea liberari poterit, tamen aut actori praecipue, aut reo tribuendam esse. Accuratius autem si in rem inquirimus, fieri vix poterit, quin cum Dissenio[2]) assentiamur

---

(Zeitschr. f. Alterth. 1835 p. 1210 sq.) acute respondit, ipse in sua sententia non iam perseveret (cf. Vita Dem. XXXV, 200).

[1]) cf. Winiewski: Commentarii hist. et chron. in Dem. or. de cor. p 288 et Ranke in Erschi et Gruberi Encycl. litt. t. XXIV p. 105.

[2]) Dem. or. de cor. ed. p. 140.

Rauchensteinio,[1]) qui actorem potius quam reum distulisse censuit.

Sic ut coniciamus, adducamur primum fere necesse est silentio Aeschinis, qui, si adversarii dilationis auctores fuissent, certe de hac re non tacuisset, sed eam in suum commodum convertisset et acerbissime de malitia clamasset et perfidia adversariorum, qui non ignorantes rem male eventuram esse dolose tam diu impedivissent, quominus in iudicio decertarent. Deinde autem haec sententia ipsa rei natura et condicione optime confirmatur. Quaeritur enim, utriusnam magis interfuisse videatur litem produci? Nempe eius, cui res protinus agenda periculosior videbatur. Jam, quod altero et tertio capite fusius demonstrabo, Ctesiphontis decretum adeo quidem contra leges factum erat, ut de his defensio haud facilis videri posset, sed quum Aeschines non tam Ctesiphontis quam Demosthenis accusator et obtrectator extitisset, vix tantum reo imminebat periculum, ut hunc timore motum rem distulisse veri sit simile. Nam quantumcunque Aeschini in legibus praesidium erat, maius tamen Demostheni in ipsius auctoritate et amore populi. Sane post infelicem pugnam Chaeroneensem reipublicae condicio erat miserabilis nec talis, quam ei favisse credas, qui gravissimus semper Macedonum osor nunquam cives ad servandam patriae libertatem suscitare destiterat itaque cum consiliorum, quae adversus Philippum ceperant, tum calamitatum, quas deplorabant, princeps auctor fuerat. At tamen ne his quidem fracta aut deminuta erat Demosthenis apud populum auctoritas et dignitas, immo etiamtunc vir erat amatissimus, et quamquam non deerant, qui Macedonicarum partium studiosi ad eius perniciem incumberent, tamen frustra, ut iram et odium in eum moverent, contenderant. Testatur hoc ipse § 249, ubi dicit sese proximo post cladem ad Chaeroneam acceptam tempore quotidie fere in iudicium vocatum deorum et iudicum populique auxilio et benevolentia servatum semper superiorem discessisse. Eodemque populi amore eum paulo post Olymp. CXI, 3 protectum et

---

[1]) l. l. p. 9 sqq.

servatum videmus, quum Thebis dirutis frustra ab Alexandro cum aliis oratoribus exposceretur. Optime autem, quae tum fuerit Demosthenis auctoritas, docere censeo ipsum Ctesiphontis de corona decretum, quod certe nec hic proposuisset, nec accepisset senatus, nisi certa fuisset spes fore, ut a populo scisceretur.

Quum igitur adversarius civium studiis adeo floreret, haud magna tum Aeschini fuerit spes vincendi, praesertim quum iam antea alii lites similium decretorum auctoribus intentas turpiter perdidissent.

Quibus consideratis haud dubium videtur, quin non tam reus quam actor habuerit, cur actionem effugeret et differret. Sed accedunt alia, quibus, ut cum Rauchensteinio consentiam, moveor.

Instabat enim finis anni, quo exeunte, quod recte commemorat Schaeferus,[1]) quum senatus officium deponeret, etiam senatusconsultum de coronando Demosthene factum valere desiit. Ctesiphontis igitur interfuisse consentaneum est non tam produci rem, quam maturari et, priusquam illud fieret, agi, ne Demosthenes coronam amitteret. Hoc autem, quo magis ille prohibere debebat, quin eo magis petierit Aeschines, quis dubitat? Itaque fortasse brevi demum ante diem ad anacrisin, quae dicitur, incipiendam constitutam, petierit dilationem. Quo facto nescio, an eo facilius res produci potuerit, quod paulo post thesmothetarum collegium, apud quod instructa erat, peracto anno magistratu abiit, et cum Dissenio suspicari licet eos, qui successerunt thesmothetas antecessoribus tradita parum curasse. Inde autem Aeschines sublato timore, ne odiosum virum summo honore ornatum videret, non iam habebat, cur liti agendae maiore studio insisteret. Aequiore igitur animo tempus exspectare poterat, quo talis esset rerum condicio talesque civium animi, qualibus ad rem feliciter persequendam sibi opus esse sciebat.

At, dixeris cum Westermanno,[2]) „quis credat Demosthenem

---

[1]) l. l. p. 207 cf. Schömann: Alterth. p. 398. Hermann: Staatsalterth. 125, 11.

[2]) Zeitschrift f. Alterth. 1835 p. 1214.

permisisse Aeschini, ut causam, quae ad praetorem iam delata erat, orandam demum usque eo exspectaret atque quiesceret, dum tempus esset ei opportunum, sibi noxium maximeque intempestivum?" Quod negari non poterit, nisi quaesiverimus ante, potueritne omnino Demosthenes actorem invitum cogere, ut rem ad iudices deferret? Ac profecto docemur fuisse legem, qua mille drachmarum poena vetitum erat, ne quis causam publicam, qualis erat γραφὴ παρανόμων semel intentam omitteret. Legimus enim in oratione contra Theocrinem, cuius auctorem falso Demosthenem traditum esse inter omnes constat, § 6 haec: ἔστι δὲ ταῦτα, ὥσπερ ἠκούσατ' ἐξ αὐτοῦ τοῦ νόμου, ἐὰν ἐπεξιὼν τις μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, χιλίας ἀποτίνειν, κἂν μὴ ἐπεξίῃ — χιλίας ἑτέρας κτλ.[1])

Iam cur huc non confugit Demosthenes, cur adversario hanc legem non intentavit? Vult Westermannus[2]) eam iam pridem tum antiquatam fuisse; ac sane eis, quae Hudtwalckerus egregie hac de re disputavit, veri fit simillimum hanc legem saepissime neglectam esse, ita ut dubium sit, an securus ea uti potuerit. Sed etiamsi lex etiamtunc religiose exercita esset, egomet non futurum fuisse existimem, ut Demosthenes ad eam confugeret, quoniam verendum erat, ne, hoc si faceret, Aeschines rei parum confidens praeferret, legitimam poenam potius solvere, quam subire periculum causae publicae et tantae perdendae. Ita sane factum esset, ut hic turpem cladem non vitaret, at tamen Demosthenes semet ipsum egregia illa et optata occasione omnia, quae usque eo pro republica contenderat et egerat, coram purgandi privaret.

Accedit, quod, uti iam supra commemoratum est, leges, quibus Aeschines accusationem suam quasi substruxerat, ei

---

[1]) cf. quae leguntur in lege Midianae § 47: ὅσοι δ' ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ. cf. Hudtwalcker: l. l. p. 159—168, Schömann: Att. Proz. p. 702, Boeckh: Staatshaushlt. 1, 498, 6.

2) De Aesch. or. adv. Ct. p. 13.

optime favebant, qua re etsi Demosthenes vix moveri, ut agendam causam effugeret, tamen retineri potuit, quominus invito actore postularet iudicium, praesertim quum de honore ageretur, quem quasi exprimere et eripere cum modestia tum prudentia vetabatur.[1])

His omnibus igitur adducor, ut maiorem productae litis culpam Aeschini tribuam. At hoc si recte fit, cur tacuit de ea Demosthenes, quem non minus clamaturum fuisse exspectamus, quam Aeschinem, si ille dilationis auctor fuisset? Quod Rauchensteinius explicari vult ita, ut coniciamus disputatum esse hac de re in deperdita Ctesiphontis oratione. Dicit enim p. 12: „Utrius fuit de hac re potissimum queri? Ctesiphontis credo magis quam Demosthenis. Nam ad illum potius pertinebat disputatio de legibus et earum rerum reprehensio, quibus fortasse Aeschines in actione ad iudices deferenda et in causa priusquam peroraretur, agenda vituperationem commeruit.“ Quae Ctesiphon in oratione sua Demosthenicae praemissa protulerit, quum nullum de ea testimonium habeamus, certe dici nequit, sine dubio autem vir doctissimus longius progressus est, quod censet Demosthenem et Ctesiphontem defensionis partes inter se distribuisse. Id quidem nequaquam credibile est Ctesiphonti tam gravem partem defensionis mandatam fuisse, qualis erat de legibus disputatio, cui sententiae non modo obstat, quod mirum esset, cur Demosthenes iterum tractasset, quod ille iam absolverat, sed etiam id, quod ipso eo loco, quem citat Rauchensteinius,[2]) Ctesiphontis oratio *προοίμιον* appellatur,

---

[1]) cf. Grotii Histor. graec. ed. germ. VI, p. 649: Ohne Zweifel hätten Ktesiphon und Demosthenes den Aeschines zu der Alternative zwingen können, entweder seine Klage fallen zu lassen, oder sie vor das Dicasterion zu bringen, aber es wäre dies eine gewagte Herausforderung gewesen, die sie in Bezug auf ein reines Ehrenvotum nicht dreist genug gewesen waren, ihm hinzuwerfen, ganz besonders nach der Einnahme von Theben im Jahre 335 v. Chr. als der siegreiche Alexander die Auslieferung des Demosthenes nebst mehreren andern Bürgern forderte.

[2]) Aesch. III, 201: *ἐπειδὰν προσελθὼν ἐνταυθοῖ Κτησιφῶν διεξέλθῃ πρὸς ὑμᾶς τοῦτο δὴ τὸ συντεταγμένον αὐτῷ προοίμιον, ἔπειτ᾽ ἐνδιατρίβῃ καὶ μὴ ἀπολογῆται κτλ.*

unde coniecit Westermannus [1]) eam rationibus et argumentis caruisse neque aliud quidquam fuisse, nisi brevem allocutionem ad praeparandos captandosque animos iudicum compositam. Eadem fere de illa est Schaeferi [2]) opinio, qui tamen posse Ctesiphontem de dilatione locutum esse non negat. Equidem facere non possum, quin id Rauchensteinio concedam in eis, quae Ctesiphon praemisit, quamvis paucis dilationis mentionem factam esse; nam tam diuturna causae dilatio sive actoris sive rei sive utriusque culpa aut opera orta quomodo adeo negligi potuerit, ut ne verbo quidem tota in actione attingeretur, non video. [3]) Sic autem conicientibus nobis minorem difficultatem praebebit Demosthenis silentium, quippequem propterea de hac re siluisse augurari liceat, quod ipse nihil fecerat, ut rem maturaret, itaque semet ipsum non prorsus liberum a culpa esse non ignorabat.

Ceterum non frustra Rauchensteinius etiam in ipsa Demosthenis oratione indagasse mihi videtur, quae ad dilatam litem spectent. Ea quidem, quae § 308 legimus, de malis artibus ab Aeschine in causa differenda adhibitis intellegamus necesse non esse ostendit Westermannus. [4]) Acute autem, nisi fallor, invenit in §§ 225 et 226, quas postea alio loco [5]) affert, latere crimen ad dilationem pertinens. Ibi enim haec dicit Demosthenes: *ἀλλ᾽ οὐκ ἦν, οἶμαι, τότε ὃ νυνὶ ποιεῖν, ἐκ παλαιῶν χρόνων καὶ ψηφισμάτων πολλῶν ἐκλέξαντα, ἃ μήτε προῄδει μηδεὶς, μήτ᾽ ἂν ᾠήθη τήμερον ῥηθῆναι, διαβάλλειν καὶ μετενεγκόντα τοὺς χρόνους καὶ προφάσεις ἀντὶ τῶν ἀληθῶν ψευδεῖς μεταθέντα τοῖς πεπραγμένοις δοκεῖν τι λέγειν· οὐκ ἦν τότε ταῦτα, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῆς ἀληθείας, ἐγγὺς τῶν ἔργων, ἔτι μεμνημένων ὑμῶν καὶ μόνον οὐκ ἐν ταῖς χερσὶν ἕκαστ᾽ ἐχόντων, πάντες ἐγίγνοντ᾽ ἂν*

---

[1]) l. l. p. 1214.

[2]) l. l. p. 231 cum ann. 2.

[3]) cf. Westermann: l. l. p. 1213: Tantam publicae causae dilationem fieri potuisse tacentibus accusatore et reo negavi aut nulla est nostra iuris attici notitia.

[4]) ibid. p. 1214.

[5]) Zeitschrift f. Alterth. 1851, ubi recensuit Westermanni editionem huius orationis p. 453.

οἱ λόγοι. διόπερ τοὺς παρ' αὐτὰ τὰ πράγματ' ἐλέγχους φυγὼν νῦν ἥκει, ῥητόρων ἀγῶνα νομίζων, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖ κτλ. Exprobrat igitur his adversario, quod non iam tum intercesserit, quum Demomele et Hyperide rogantibus ipse corona ornatus sit, quod quominus faceret impeditum esse timore, ne ea, in quae ei inquirendum erat, iudicibus tum notiora essent, quam quae uti nunc turbari et detorqueri possent. Haec autem quum dicere non potuerit, nisi complurium annorum spatio ex priore illo decreto interiecto, inter Demomelis autem et Ctesiphontis decretum fere unus tantum annus intercesserit, liquet crimen illud (τοὺς παρ' αὐτὰ τὰ πράγματ' ἐλέγχους φυγὼν νῦν ἥκει) non tam ad institutam, quam ad dilatam et redintegratam causam spectare. Sed nolo huic tam obscuro vestigio maiorem vim tribuere quam ipse vir doctissimus, qui dicit: „Somit enthalten jene §§ allerdings einen obwohl nur indirect ausgesprochenen Vorwurf, dass Aeschines die gerichtliche Verhandlung wenigstens nicht gefördert, sondern eher verzögert habe.“ In his acquiescendum erit. Ex omnibus autem, quae consideravimus, concluserim, ut quae sit mea sententia repetam, primum dilationis auctorem fuisse Aeschinem, Demosthenem autem de ea siluisse, quia ipse non sine causa rem nullo modo maturaverat. Minime autem accedam Spengelio viro doctissimo dicenti: „Die sechsjährige Verzögerung des Processes war gewiss nicht die Schuld des Klägers.“ [1])

Restat, ut, priusquam ad ipsam litem et ea, de quibus praecipue disputare nobis proposuimus, progrediamur, alteram quaestionem non minus intricatam paucis absolvamus, eam dico, qua de causa et a quo res anno Olymp. CXII, 3 redintegrata sit. Ac primum quidem, quin Aeschines causam de integro instaurarit, dubitari nequit, sed suane sponte hoc fecerit, an ab adversariis commotus, nondum satis exploratum est. Variae enim sunt hac de re sententiae virorum doctorum, quorum alteri et quidem plurimi, Jacobsius, [2])

---

[1]) Abhandlgn. d. K. bayr. Ak. d. W. philos. philol. Cl. X p. 82.
[2]) Demosthenes' Staatsreden nebst der Rede vom Kranze p. 443.

Rauchensteinius,[1]) Dissenius,[2]) Grotius,[3]) putant Aeschinem denuo ad causam propterea accesisse, quod tum Lacedaemoniis ab Antipatro profligatis tempus sibi opportunum adesse viderit, alteri, quod vere eius anni a Lacedaemoniis aliisque civitatibus Peloponnesiacis defectione tentata a Demosthene eiusque familiaribus rem persequi coactus sit. Atque hanc sententiam probabiliorem censet Schaeferus,[4]) cui tamen accedere non possum. Huius autem iudicium quum his in rebus gravissimum sit, non modo operae pretium, sed etiam par esse existimo accuratius, quibus difficultatibus ea, quae profert, laborent, demonstrare.

Vult igitur vir doctissimus duplici ratione coactum esse Aeschinem litem tam diu omissam redintegrare. Ac primum quidem eo, quod adversarii ei legitimam poenam minitati sint, nisi causam tandem ad iudices deferret. Hoc autem veri simile non esse vidimus iam supra, ubi de lege illa, quam ad probandam suam coniecturam Schaeferus citat, disputavimus.

Porro autem suspicatur senatus consultum de coronando Demosthene, quod diu valere desierat, renovatum esse, qua in re consentientem habet A. Hugium.[5]) At quamquam haec coniectura talis est, ut cuivis primo aspectu valde arrideat, tamen accuratius inquirenti haud parvam difficultatem praebet. Eum sane scrupulum, quem tempora repetendo decreto parum opportuna cuipiam iniciant, sustulit Schaeferus suspicatus senatusconsultum iam nonnullis mensibus ante actam litem vere anni Olymp. CXII, 3 Lacedaemoniis nondum superatis renovatum esse, quod, quo melius probetur, affert, quae leguntur in altero orationis Demosthenicae argumento: *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καιρὸν ἔχειν ἐνόμισαν κρίσει παραδοῦναι τοὺς προδότας τοὺς τὴν Ἑλλάδα ἀδικήσαντας καὶ οὕτω συνεκροτήθη τὸ δικαστήριον.* Facile

---

[1]) De tempore etc. p. 9.

[2]) l. l. p. 180.

[3]) l. l. VI, p. 649.

[4]) l. l. III, p. 207.

[5]) Der Entscheidungsprozess zwischen Aeschines und Demosthenes, pag. 7.

autem fieri potuisse, ut instructio litis usque ad aestatem produceretur. Hoc sane est concedendum. Sed obstat aliud quid Schaeferi sententiae. Senatusconsultum enim etsi potuit sex annis post rursus fieri, tamen apparet hoc ab alio senatu factum prorsus novum, nec quicquam huic cum priore illo commune fuisse, nisi forte id, quod utriusque auctor idem fuit Ctesiphon. Tale enim decretum anno Olymp. CXII, 3 factum, licet ad verbum cum vetere congrueret, primum non eodem atque hoc spectasse liquet. Nam tum si decrevit senatus coronandum Demosthenem propter magna eius de republica merita „virtutisque ergo et benevolentiae, quam erga populum Atheniensem haberet", [1]) haec laus non ad ea sola referenda erat, quae usque ad annum 336, sed ad ea quoque, quae post hunc annum ad id usque temporis momentum, quo coronari decreto iussus est, fecerat. Optimo igitur iure tum Aeschines, quod fecit §§ 159—167, etiam in haec recentiora Demosthenis facta invectus nec *τετάρτῳ* illo *καιρῷ* assumpto ad aliena evagatus esset, quod recte a viris doctis quantum scio omnibus ei crimini datur. Deinde autem etiam hoc patet, tale decretum non iisdem argumentis impugnari potuisse, quibus Aeschines et in libello et in iudicio usus est, quia tum Demosthenes muneribus, quae administraverat, et theorici et moenium reficiendorum diu iam perfunctus erat eorumque rationes ex lege reddiderat. Quae quum ita sint, mirandum esset hoc novum senatus consultum semel factum non statim ad populum latum et ab hoc scitum esse. Iam si quis obiciat hoc ipsum ab Aeschine prohibitum esse, respondendum erit hoc fieri non potuisse, nisi denuo iureiurando intercessisset novamque actionem in rogationis auctorem instituisset. Quod si ita se haberet, omnino non iam de vetere lite per complures annos intermissa, sed de plane nova cogitandum esset. Atque haec re vera videtur esse sententia A. Hugii, cuius ego quidem aliter intellegi vix posse arbitror verba haec: Jetzt als Alexander im fernen Asien war und der

---

[1]) Cic. de opt. gen. or. c. 7, cf. Aesch. III, 34, 49, 101, 155, 237 et Dem. de cor. 57, 110.

Spartanerkönig Agis sich zu kräftigem Widerstand erhob, erneuerte Ktesiphon seinen Antrag, Aeschines seine Klage gegen denselben", et in annot. 2. addit: Für diese Auffassung der Sache spricht ausser den bei Schäfer III, 1, p. 207 angeführten Wahrscheinlichkeitsgründen noch der Umstand, dass die Wiederaufnahme der Klage gegen den alten Ktesiphonteischen Antrag ohne Erneuerung desselben den Ktesiphon persönlich nicht hätte bedrohen können, also nicht eine Klage *κατὰ Κτησιφῶντος*, sondern *πρὸς Κτησιφῶντα* gewesen wäre." Sed haec viri doctissimi argumentatio errore laborat, quem paucis corrigere liceat.

Notum est ex iure attico cuivis legem vel rogationem, quam tulerat, per annum praestandam fuisse ita, ut, si intra hoc temporis spatium reus factus inferior discedebat, poena afficeretur; contra, si quis post peractum demum annum accusator exsistebat, ipse rogator in periculum non vocabatur. Quare duae accusandi rationes discernuntur. Haec enim accusatio semper instituitur adversus aliquem *(πρός τινα)*, illa in aliquem *(κατά τινος)*.[1]) Cuius rei eximium exemplum nobis notissima illa causa Leptinea praebet. Leptines enim quum legem de atelia pertulisset neglectis omnibus legum praeceptis, statim Bathippus litem *κατὰ Λεπτίνου* intenderat. Bathippo autem mortuo quum Leptines iam anno ex lata lege praeterito ab Apsephione et Ctesippo denuo accusaretur, hic ipse poena affici non iam poterat, ideoque Demosthenis oratio adversus eum habita non inscribitur *κατὰ Λεπτίνου*, sed *πρὸς Λεπτίνην*. Iam, ut ad nostram litem redeamus, Ctesiphonti, si causam perdidisset, poenam persolvendam fuisse docent ipsi oratores,[2]) verumtamen inde non sequitur, quod vult Hugius, eius rogationem ante iteratam esse. Nam, quod supra vidimus, instructa erat lis ab Aeschine paulo post ipsam intercessionem factam, ubi Ctesiphon rogationem suam praestare non-

---

[1]) cf. Heffter: Athen. Gerichtsverfassung p. 125. Hermann: Staatsalterth. 132.

[2]) Aesch. III, 210, 197. Dem. de or. 15 cf. Boeckh: I, 503, Meier: Proz. p. 167. Schäfer: l. l. III, p. 204 n. 2.

dum desierat. Itaque quamquam complures anni inter institutam causam et diiudicatam intercesserant, nihilo minus ipsi reo periculum imminebat, quare optimo iure causa uti intenta, sic etiam acta est *κατὰ Κτησιφῶντος*, non *πρὸς Κτησιφῶντα*, nec opus est Hugii coniectura. Ipsas autem orationes perlustranti nil dubii restare puto, quin nec de novo decreto,[1]) nec de nova lite[2]) cogitandum sit, quod etiam Hugius quodammodo concedit dilucide eandem proferens sententiam,[3]) quae est virorum doctorum fere omnium, Aeschinis argumentum ex munerum rationibus a Demosthene nondum relatis haustum optime valere; nam, quod iam commemoratum est, si novam actionem contra renovatum decretum instituisset, hoc argumento uti omnino non debuit, contra optimo iure perscrutatus esset etiam ea, quae Demosthenes inde a pugna Chaeroneensi gesserat, quod non iure, sed insidiose ab eo factum esse recte omnes consentiunt. Videmus igitur Hugium sibi non plane constare. Accedit, quod dubium saltem videtur, num licuerit Ctesiphonti repetere rogationem, Aeschini novam intendere litem priusquam priorem de eadem re instructam persecutus esset, praesertim si, quod non satis constat, is, qui causam susceptam deposuerat, non modo pecunia, sed etiam atimia, quae vocatur, partiali multabatur.[4])

Sed revertamur ad Schaeferum et quaeramus, qua de causa hic Ctesiphontis decretum renovatum esse coniecerit. Dicit l. l. p. 207 haec: „Dass dies der Fall gewesen sei, scheint mir deshalb wahrscheinlich, weil Aeschines in seiner ganzen Rede es als selbstverstanden annimmt, dass, wenn Ktesiphon freigesprochen werde, an den nächsten Dionysien die Bekränzung des Demosthenes stattfinde.“ Haec sane ratio gravissima videtur esse, nam vetus consultum non iam valebat. Jam dixerit quispiam dilui difficultatem, si ponamus intercessisse Aeschinem non prius quam decreto

---

[1]) cf. imprimis Aesch. III, 24 sqq.
[2]) cf. Aesch. III, 219 etc.
[3]) l. l. p. 9.
[4]) cf. Schömann: Proz. p. 734 sq. Boeckh: I, 500, e.

iam a populo scito; hypomosia enim, si post lata demum suffragia interposita esset, decretum senatus, a quo comprobatum erat, anno peracto, non sublatum esset, sed ultra valuisset, etsi ratum fieri non potuit, donec res in iudicio peracta esset.[1] At quominus hoc faciamus, obstant nonnulli loci, quos Schaeferus citat l. l. p. 77. Demosthenes enim §§ 9, 53, 118 decretum Ctesiphontis non psephisma, sed probuleuma nominat, ita ut dubitari nequeat, quin intercesserit Aeschines decreto ab ipso populo nondum comprobato. Hoc igitur, quod iam Dissenius l. l. p. 138 monuit, ante omnia obtinendum nobis est, ne ad falsam sententiam abducamur, non de populi decreto, sed de senatus consulto agi.

Quaeritur autem, num Schaeferi ratio ipsa probabilis sit, quod negandum erit. Putat enim vir doctissimus[2]) putantque alii veluti Grotius[3]) et Westermannus[4]) Aeschinis clade factum esse, ut Demosthenes magnis Dionysiis anni 330 in theatro coronaretur. Quam sententiam tamen nescio unde hauserint, nisi ex ipsis illis orationum locis, quos Schaeferus p. 207 in ann. affert. Etenim veterum scriptorum ne unus quidem tale quid narrat. Sane Demosthenem non coronatum esse ex solo horum silentio colligi non debet, quippequod facile explicari possit ita, ut transiri ab iis dicamus, quod per se satis pateat. At tamen potest certe quidem huius silentii altera quoque fuisse causa, quae sola vera est, scilicet haec, quod ipsis scriptoribus de coronato Demosthene nihil erat traditum. Itaque quum certi testes datae coronae non extent, licebit de ea dubitare, donec demonstratum erit fieri non potuisse, quin Demosthenes obtenta lite coronaretur. Quod nunquam demonstrabitur, nam si, quae supra disputavimus, vera sunt, liquet Demosthenem ipsa quidem lite coronam assequi omnino non potuisse, quoniam senatusconsultum, de quo agebatur, diu valere desierat, Schaeferi autem coniecturam ferendam non esse vidimus.

---

[1]) cf. Schömann: De com. p. 164 n. 12, Meier: Proz. p. 285.

[2]) l. l. III, 266.

[3]) l. l. VI, p. 653.

[4]) Introd. edit. p. 8.

Accedit, quod senatusconsultum non satis erat ad coronandum Demosthenem, sed non potuit hoc nisi populiscito fieri.

Jam quod per se neutiquam credibile est, ne ex oratorum quidem dicendi ratione concludi licebit, immo quod Aeschines tota in oratione ita egit, ut Ctesiphonte victore coronam datum iri exspectasse videatur, quaerendum erit, locos omnes, qui huc pertinent, nonne sic interpretari possimus, ut inde id, quod vult vir doctissimus, non sequatur. Inspiciamus igitur exempli causa duos illos locos Aeschineos, quos vir doctissimus attulit. Quorum prior extat § 153 sqq., ubi orator adhortatus iudices, ut fingant sese non in iudicio, sed in theatro esse audireque praeconem Demosthenis laudem ex decreto pronuntiantem, memoria eorum ad ea excitata, quae priore tempore Dionysiorum sollemnibus in theatro renuntiari solita sint: *τότε μὲν*, inquit (§ 155), *ταῦτ᾽ ἐκήρυττεν, ἀλλ᾽ οὐ νῦν, ἀλλὰ παραστησάμενος τὸν τῆς ὀρφανίας τοῖς παισὶν αἴτιον τί ποτ᾽ ἀνερεῖ ἢ τί φθέγξεται; καὶ γὰρ ἐὰν αὐτὰ διεξίῃ τὰ ἐκ τοῦ ψηφίσματος προστάγματα, ἀλλ᾽ οὐ τόγ᾽ ἐκ τῆς ἀληθείας αἰσχρὸν σιωπηθήσεται, ἀλλὰ τἀναντία δόξει τῇ τοῦ κήρυκος φωνῇ φθέγγεσθαι, ὅτι τόνδε τὸν ἄνδρα, εἰ δὴ καὶ οὗτος ἀνήρ, στεφανοῖ ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων ἀρετῆς ἕνεκα τὸν κάκιστον καὶ ἀνδραγαθίας ἕνεκα τὸν ἄνανδρον καὶ λελοιπότα τὴν τάξιν. Μὴ πρὸς τοῦ Διὸς καὶ τῶν ἄλλων θεῶν, ἱκετεύω ὑμᾶς, ὦ Ἀθηναῖοι, μὴ τρόπαιον ἵστατε ἀφ᾽ ὑμῶν αὐτῶν ἐν τῇ τοῦ Διονύσου ὀρχήστρᾳ, μηδ᾽ αἱρεῖτε παρανοίας ἐναντίον τῶν Ἑλλήνων τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων κτλ.* Locus alter est § 259, ubi legimus: *ὑμεῖς δὲ Δημοσθένην, οὐ κομίσαντα τὸ ἐκ Μήδων χρυσίον, ἀλλὰ δωροδοκήσαντα καὶ ἔτι καὶ νῦν κεκτημένον, χρυσῷ στεφάνῳ μέλλετε στεφανοῦν. Θεμιστοκλέα δὲ καὶ τοὺς ἐν Μαραθῶνι τελευτήσαντας καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς καὶ αὐτοὺς τοὺς τάφους τοὺς τῶν προγόνων οὐκ οἴεσθε στενάξειν, εἰ ὁ μετὰ τῶν βαρβάρων ὁμολογῶν τοῖς Ἕλλησιν ἀντιπράττειν στεφανωθήσεται;*

Nimirum quum haec legamus haud dubium videtur esse, quin corona revera exspectanda fuerit. At oratoris sunt verba et Aeschinis! Quid, si timorem, quem hic prae se fert, simulavit, si versute magis, quam vere ita locutus est? Quae quidem suspicio facillime oriri potest. Etenim patet, quantum Aeschinis

interesse debuerit, quam acerrimis poterat coloribus pingere iudicibus, quomodo eventura esset res, si pro Ctesiphonte sententias ferrent. Ceterum hoc quoque notandum est, quod Demosthenes a iudicibus condemnato Aeschine corona dignus iudicatus et declaratus est, reapse utrique parti prorsus idem valuisse, ac si revera coronatus esset. Quocirca credo haud difficile esse et hos, quos ascripsimus locos, et alios omnes [1]), quibus Aeschines simili modo de corona adversarii tamquam exspectanda et timenda agit, ita percipere, uti percipiantur necesse est, quoniam talem fuisse rei condicionem vidimus, ut ipsa corona nec dari nec exspectari posset. Accedit, quod apud Demosthenem perpauca modo inveniuntur, quae huc referri possint. Citat Schaeferus § 85, ubi ad ea respondet, quae Aeschines § 231 protulit, et priore Aristonici decreto recitato: *Ἔστιν οὖν*, inquit, *ὅστις ὑμῶν οἶδέ τινα αἰσχύνην τῇ πόλει συμβᾶσαν διὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα ἢ χλευασμὸν ἢ γέλωτα, ἃ νῦν οὗτος ἔφη συμβήσεσθαι, ἂν ἐγὼ στεφανῶμαι;* Porro § 266, ubi sunt: *νυνὶ τήμερον ἐγὼ μὲν ὑπὲρ τοῦ στεφανωθῆναι δοκιμάζομαι.* His aliisque locis [2]) *στεφανοῦσθαι* aliter intellegi non poterit, nisi ut per breviloquentiam pro coronae laude dignum iudicari dicatur. In tali autem breviloquentia non esse puto, cur offendamus. Sed utut hoc est, certe horum locorum non tanta est vis, ut inde statuere cogamur, quod per se ferri nequit. Errant igitur, qui putant, litis eventum fuisse eum, ut Demosthenes magnis Dionysiis coronaretur, nec opus est cum Schaefero conicere Ctesiphontis decretum esse renovatum, quae coniectura quantis laboret difficultatibus supra exposuimus, quaeque minime probatur, id quod vult vir doctissimus, acerbitate, qua Aeschines § 2 sqq. senatum increpat.

Jam redeamus, unde aberravimus. Quum igitur nec senatus consultum esse iteratum credibile, nec veri sit simile adversarios Aeschini legitimam poenam minitatos esse, cadunt causae, quibus Schaeferus suspicatur permotum esse

---

[1]) cf. Aesch. III, 53, 131, 147, 177 sqq., 210, 230 sqq., 244, 253.

[2]) cf. Dem. de cor. 118 et 83.

Aeschinem, ut litem persequeretur. Quamobrem probabiliorem quam huius censeo eorum esse sententiam, qui Aeschinem non ab adversariis excitatum vel coactum, sed sua sponte anno 330 causam redintegrasse coniciunt. Cui sententiae quid opponi possit, nescio. Nam si unquam, certe post splendidam Antipatri victoriam existimare potuit tempus sibi oppertunum adesse, quo odium suum in Demosthenem expleret. Tum Lacedaemoniorum omniumque, qui cum his defectionem tentaverant, spe subito praecisa, Macedonum potentia et auctoritate aucta, Atheniensium, quamquam ipso Demosthene auctore a seditionis societate temperaverant, animis certe sollicitatis et fractis, magis quam unquam sperare poterat fore, ut iudicum sententias sibi conciliaret adversariumque profligaret.

Accedit, quod eodem tempore etiam aliis in urbibus eiusdem generis lites viris Atheniensium studiosis intentae erant. Cuius rei testis est ipse Demosthenes § 197, ubi: *καὶ ἅμ᾽ Ἀρίστρατος*, inquit, *ἐν Νάξῳ καὶ Ἀριστόλεως ἐν Θάσῳ, οἱ καθάπαξ ἐχθροὶ τῆς πόλεως, τοὺς Ἀθηναίων κρίνουσι φίλους καὶ Ἀθήνησιν Αἰσχίνης Δημοσθένους κατηγορεῖ.* His autem verbis nescio, an simul hoc insit redintegratae litis auctorem fuisse Aeschinem, nec desunt alia huiusce modi vestigia, quibus hoc confirmatur. Quorum, ut concludamus quaestionem, afferam unum, quod apud Aeschinem invenitur. Dicit enim § 216: *κατὰ τῆςδε τῆς κρίσεως εὐθὺς ἀρχόμενος τοῦ λόγου φέρει τινὰ αἰτίαν, λέγων, ὡς ἐγὼ τὴν γραφὴν οὐχ ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐγραψάμην, ἀλλ᾽ ἐνδεικνύμενος Ἀλεξάνδρῳ διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν ἔχθραν* et paulo post § 219 huic exspectato crimini opponit: *ἀπηνέχθη γὰρ ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφὴ, ἣν οὐχ ὑπὲρ τῆς πόλεως, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς εἰς Ἀλέξανδρον ἐνδείξεώς με φῂς ἀπενεγκεῖν, ἔτι Φιλίππου ζῶντος, πρὶν Ἀλέξανδρον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι, οὔπω σοῦ τὸ περὶ Παυσανίαν ἐνύπνιον ἑωρακότος οὐδὲ πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὴν Ἥραν νύκτωρ διειλεγμένου· πῶς ἂν οὖν ἐγὼ προενεδεικνύμην Ἀλεξάνδρῳ; εἴ γε μὴ ταὐτὸ ἐνύπνιον ἐγὼ καὶ Δημοσθένης εἴδομεν.*

Sane quod hic refutat, a Demosthene ei in oratione non aperte, sed obscure tantummodo obicitur, veluti § 280 et

197,[1]) at potuitne, quaeso, Aeschines omnino talem criminationem timere, nisi sua sponte denuo ad rem accessisset? Adversarii enim si ipsi eum, ut hoc faceret, coegissent, quomodo queri potuissent, quod studio Alexandri commotus accusator extitisset?

His igitur aliisque optime probari censeo sententiam plurimorum virorum doctorum: Aeschinem sua sponte litem insidose persecutum esse, quum tempus sibi satis commodum ad explendum odium adesse putaret.

II.

Transeamus iam ad ea, quae potissimum nobis tractanda proposuimus. Quum enim utriusque et accusantis et rei patroni orationem hac in lite habitam nobis traditam esse gaudeamus, licet argumenta, quibus usi sunt, accuratius examinata inter se comparare itaque cum qua arte et accusandi et defendendi munere functi sint, tum quae omnino utriusque litigandi ratio fuerit perspicere. Quod quo minus a veteribus ea, qua et propter singularem totius causae gravitatem et propter summam litigantium auctoritatem decuit diligentia factum est, eo studiosius his temporibus hac in re viros doctos versari testantur nonnullae commentationes de ea conscriptae. Extat autem inter eos non is, qui optandus est, consensus sententiarum, immo vero sunt et qui a Demosthenis et qui ab Aeschinis partibus stant. Veluti Stechowius in libello, quem scripsit: „De Aeschinis oratoris vita" Berol. 1841, Aeschinem defendit. Spengelius autem, vir doctissimus et in antiquis oratoribus interpretandis perquam versatus, uti alias orationes Demosthenicas [2]), ita etiam

---

[1]) cf. Weidner. ad § 216.

[2]) Ueber die Demegorien des Demosthenes in Act. Acad. reg. bav. Cl. IX, p. 51 sqq.

hanc de corona accuratius percensens[1]) demonstrare studuit cavendum esse, ne omnia, quae Demosthenes proferat, quamvis speciosa ac nitida, pro veris habeamus; hunc enim in rebus detorquendis iudicibusque fallendis non modo nihil cedere, sed potius longe praestare adversario. Jam etsi concedendum est Demosthenem non sprevisse omnibus iis artibus uti, quae tum in iudicio adhiberi consuerant, tamen nec verum nec iustum est Spengelii iudicium de eo factum, qui nimio Aeschinis purgandi studio captus eo processit, ut gravissima crimina in Demosthenem congerat totamque eius orationem artificium artis sophisticae nominet[2]).

Nil igitur mirum, quod adversus hunc extiterunt defensores Demosthenis. Ac primum quidem M. Hoffmannus in commentatione, quae inscribitur: „Zur Beurtheilung des Demesthenes“[3]), permulta crimina, quae ille cumulaverat, acute percensuit refellitque, itemque A. Hugius in libello supra laudato[4]) patrocinium Demosthenis suscepit optimisque argumentis egit. Hi autem quum ea potissimum tractarint, quae contra ipsum Demosthenem eiusque facta ab Aeschine prolata sunt, nihil autem vel paene nihil de ipsa iuris quaestione disseruerint, nuper Halmius, vir doctissimus, commentationem scripsit: „Ueber die Beweisführung des Aeschines in der Rede gegen Ktesiphon“,[5]) qua solam hanc tractat quaque Demosthenem etiam de legibus defendere studet.

Notum enim est Aeschinem tribus de causis Ctesiphontis decretum oppugnasse, primum quod contra leges coronam Demostheni petiisset, priusquam munerum, quibus functus erat, rationes reddidisset, tum quod voluisset coronae renuntiationem non in contione populi, sed Dionysiorum sollemnibus in theatro fieri, denique quod mentitus esset Demosthenem virtute omni tempore et benevolentia erga

---

[1]) Demosthenes' Vertheidigung des Ktesiphon ibid. X, p. 29 sqq.
[2]) cf. l. l. p. 95.
[3]) Zeitschrift f. Gymnisialwesen 1866, p. 746 sqq.
[4]) p. 32 sqq.
[5]) Sitzungsber. d. philos.-philol. Cl. d. k. b. Ak. d. Wissenschaften. 1875. I, 1. p. 1 sqq.

rempublicam praestitisse. Itaque tota orationis argumentatio in tres divisa est partes, quarum prioribus continetur id, quod proprie dicitur παράνομον. De his autem vacillare Demosthenis defensionem iam a veteribus [1]) recte perspectum et a recentioribus fere omnibus concessum est.[2]) Acerrima enim argumenta, quae Aeschines legibus mirifice adiutus protulit, vix quidquam infirmat, immo totam hanc defensionis partem mira et brevitate et levitate tangit, non absolvit. Sane quum ipse Aeschines summum momentum in tertia orationis parte posuisset, etiam Demosthenem ad hanc maxime respondere oportuit. Sed non solum parum acriter ac brevius, quam debebat absolvit ea, quae ad ipsam iuris quaestionem pertinebant, sed argutius etiam hic quam alibi egit, quod recte ostendit Spengelius [3]) concessitque Hoffmannus.[4]) Contra Halmius, quamquam aperte negare non audet Aeschinem hac in parte ex iure superiorem fuisse, tamen demonstrare vult huius argumentationem non minus laborare sophismatis, quam Demosthenis defensionem. Confiteor autem mihi nec sententiam, quam profert vir doctissimus, probabilem nec rationes, quibus usus est ad eam comfirmandam aptas et veras videri esse, qui potius tantum abesse credam, ut ille sine ira ac studio veritatem investigarit, ut nesciam, an, quod Aeschinis exprobrat, ipse quodammodo commiserit, quamquam in fine commentationis haec dicit: „Da ich mich in dieser Darstellung immer streng an den Wortlaut des Redners gehalten habe, so erwarte ich kaum dem Vorwurfe zu begegnen, als habe ich mich zur Bloslegung vermeintlicher Sophismen selbst auf sophistischem Boden bewegt.“ Immo saepius verba oratoris non recte interpretatus conclusit, quae concludere non debebat, nec difficile esse arbitror, pleraque, quae disseruit, refutare. Quod quum nondum fac-

---

[1]) cf. Syrian. (Rhett. gr. IV, 205) et Libanii Argum. p. 224.

[2]) cf. Winiewski: l. l. p. 10. Jacobs: l. l. p. 452 n. 23. Rauchenstein: l, l. p. 10. Dissen: l. l. p. 277. Westermann: ad. or. de cor. § 112 et 119.

[3]) l. l. p. 58—61.

[4]) l. l. p. 766. not.

tum videam, immo legerim nuperrime Blassii de Halmii commentatione iudicium, qui omnino ei assentitur,[1]) haud supervacaneum mihi videtur esse denuo hanc quaestionem aggredi et Halmii sententias examinare quantumque potest fieri corrigere. Disputabimus autem priore loco de rationibus reddendis. —

Agit Aeschines de euthynis §§ 9—31. Demonstrat extare legem diserte vetantem, ne quis coronetur muneris, quo functus sit, rationibus nondum relatis. (§ 11: *τὸν διαῤῥήδην ἀπαγορεύοντα τοὺς ὑπευθύνους μὴ στεφανοῦν*). Ctesiphontem autem rogasse, ut coronaretur Demosthenes, quum is publica munera administraret, quae eis sint annumeranda, quorum rationes ad logistarum collegium referri lex iubeat, itaque rogationem eius contra leges factam esse, praesertim quum ne clausulam quidem addiderit: *ἐπειδὰν λόγον καὶ εὐθύνας τῆς ἀρχῆς δῷ* (§ 11 extr.), qua alii coronam contra leges petentes uti soleant, sed, ut statim et in ipso munere et officio laudaretur, scripserit: *Κτησιφῶν δέ, ὦ Ἀθηναῖοι, ὑπερπηδήσας τὸν νόμον τὸν περὶ τῶν ὑπευθύνων κείμενον καὶ τὴν πρόφασιν, ἣν ἐγὼ ἀρτίως προεῖπον ὑμῖν, ἀνελών, πρὶν λόγον, πρὶν εὐθύνας δοῦναι, γέγραφε μεταξὺ Δημοσθένην ἄρχοντα στεφανοῦν.*

Haec est argumentatio simplex et gravis, et viri docti, quantum equidem scio, consentiunt in eo, quod, quin Aeschines hic adversarium evicerit, non dubitant. Concedit hoc etiam Halmius p. 6, qui tamen in universum de argumento ex euthynis ducto p. 2 dicit haece: „Der erste der beiden Punkte, das *ὑπεύθυνον*, erscheint insofern von geringerem, ja von ganz geringem Belange, als bekanntlich der Austrag des Prozesses aus völlig unbekannten Gründen erst

---

[1]) Jahresber. über d. Fortschr. d. klass. Alterth. 1874—75. I, p. 491: „Die Abhandlung liefert den Nachweis, wie der rechtliche Beweis des Aeschines in der Rede gegen Ktesiphon zwar nicht durchweg, aber doch vielfältig und besonders in Bezug auf die Ausrufung im Theater durchaus sophistisch und hinfällig ist.“ Eadem A. Hugii de Halmii dissertatione sententia videtur esse. cf. Jen. Literaturztg. 1876, p. 621.

6 Jahre nach Einbringung der Klage erfolgt ist, in einer Zeit, wo Demosthenes längst Rechenschaft abgelegt und seine freiwilligen Opfer zum Besten des Vaterlandes erwiesen hatte, wo also alles Hadern um den ganzen Punkt zu einem leeren Wortgefechte geworden war[1])." Quae quantum a vera ratione aberrent, quivis facile videbit. Nam etsi longioris temporis spatium inter intentam litem et iudicium intercesserat, id quod quasi fundamentum totius accusationis praebuerat, non minoris, immo etiamtunc, quum acta est res, summi erat momenti. Sane reddiderat interea perfunctorum munerum rationes, quo tamen res ipsa nequaquam mutari potuerat, nam nec rationes relatum iri nec dona facta esse a Demosthene Aeschines in libello negaverat, sed hoc solum, Ctesiphonti eo tempore, quo coronam rogasset, rogare licuisse. Neutiquam igitur intellegi potest, cur vir doctissimus exprobret Aeschini, quod ieiunis verbis disceptarit de re inani.

Sed concedit ipse Aeschinem suo iure hanc rem attigisse, vituperat autem nimiam, cui indulgeat, inconstantiam, quia non ubique in oratione idem tempus spectarit. Nam quum hic ea, quae post annum intentae litis facta sunt, adeo negligat, ut audeat insidiosam suspicionem immiscere, quasi Demosthenes publicarum pecuniarum, quae ei commendatae fuerant, peculatum fecerit, ut populum largis donis afficere suamque erga eum liberalitatem praedicare posset[2]), oratorem in tertia orationis parte quarto illo καιρῷ perscrutatum esse ea, quae inde a pugna Chaeroneensi et post mortem Philippi Demosthenes gesserat. Profecto haec excedunt tempus, quo libellum tradiderat, nec potest dubitari, quin hic ad aliena evagatus sit. Recte igitur, quod iam alio loco in transitu commemoravi, hoc Aeschini crimini datur

---

[1]) cf. p. 15: „Wenn sich Demosthenes, was den ersten Punkt betrifft, nicht auf eine schrittweise Beleuchtung der Gründe des Gegners einliess, so ist ihm das nicht zu verdenken, weil ja die ganze Frage durch die längst erfolgte Rechenschaftsablage zu einer hinfälligen geworden war."

[2]) cf. § 23 et 19.

ab Halmio aliisque omnibus. At tamen quominus gravius huic peccato momentum tribuam, prohibeor eo, quod ipse Demosthenes hoc non videtur fecisse, quoniam nusquam queritur adversarium tempore libelli traditi neglecto attulisse, quae afferre nefas fuisset. Dicit Halmius p. 3: „Eine solche Inconsequenz überschreitet die Grenzen sittlichen Anstands, man müsste nur annehmen, Aeschines habe den Abschnitt über den vierten *καιρός* (§ 159—161) erst nachträglich bei Herausgabe seiner Rede eingeschaltet" et Westermannus, qui hoc pro certo affirmat[1]): „quae post instructam accusationem evenerunt, in quaestionem omnino non veniebant, certe actor probus atque iustus ante nuntiasset se demonstrare velle non solum hoc tempore, quod lator decreti diceret, sed etiam insequente usque ad diem orandae litis Demosthenem ut hostem patriae sese gessisse" etc. Cui quivis accedet. Calide autem hanc criminationem occupare studet Aeschines, simulans sese audiisse ipsum Demosthenem quatuor *καιρῶν* distinctionem, quam habet, facturum et interrogaturum esse, ad quemnam eorum accusatio spectaret, cf. § 54 *καὶ γὰρ πυνθάνομαι μέλλειν Δημοσθένην, ἐπειδὰν αὐτοῖς ὁ λόγος ἀποδοθῇ, καταριθμεῖσθαι πρὸς ὑμᾶς, ὡς ἄρα τῇ πόλει τέτταρες ἤδη γεγένηνται καιροὶ, ἐν οἷς αὐτός πεπολίτευται. κτλ.* Deinde § 55: *ταῦτα δὲ καταριθμησάμενος, ὡς ἀκούω, μέλλει με παρακαλεῖν καὶ ἐπερωτᾶν, ὁποίου τούτων τῶν τεττάρων αὐτοῦ καιρῶν κατηγορῶ καὶ πότε αὐτὸν οὐ τὰ βέλτιστά φημι τῷ δήμῳ πεπολιτεῦσθαι· κἂν μὴ θέλω ἀποκρίνασθαι, ἀλλ' ἐγκαλύπτωμαι καὶ ἀποδιδράσκω, ἐκκαλύψειν μέ φησι προσελθὼν καὶ ἄξειν ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ ἀναγκάσειν ἀποκρίνασθαι.* Sic quum agat, quasi ab ipso adversario excitatus et coactus sit omnem eius vitam in

---

[1]) cf. Quaestt. Dem. III, p. 73 et 87. Westermanni sententiam acceperunt Rauchensteinius: De tempore etc. p. 8 et Dissenius: l. l. p. 155 et 170, contra impugnarunt Frankius: N. Jhrb. f. Philol. XXII, p. 374 et Schaeferus: III, append. III, p. 77, qui cur Dem. quarto illi spatio non responderit, optime explicat, cuiusque sententiam non infirmasse mihi videtur Westermannus iis, quae opposuit Introd. edit. or. de cor. p. 10 ann.

reipublicae gubernaculis contritam percensere efficit, ut non iam opus ei sit excusatione, quod etiam res instructa lite recentiores perstringit, immo: *ἀποκρίνομαι*, ait, *ὅτι ἁπάντων τῶν τεττάρων καιρῶν κατηγορῶ σου· οὓς σὺ διαιρεῖς* (§ 56). Haud defuisse autem causam credo, cur timeret, ne Demosthenes novissimum quoque tempus attingeret seque eodem erga rempublicam animo, quo antea semper, etiamtunc fuisse praedicaret, quippequod revera fecerit, uti recte commemorat Dissenius l. l. p. 152 dicens: „Tempus inter libellum traditum et iudicium alienum erat per se a causa; tamen ut par erat vel hoc breviter complexus est in his descriptionibus (scil. in iis, quae leguntur inde a § 291) quam mentem ab initio habuerit, eadem se depingens hodieque praeditum.“ Quod vix dixeris propter ipsas et solas accusatoris calumnias ad quartum spatium pertinentes factum esse, quae quidem nusquam dilucide commemorantur.

At, ne putes me excusare velle Aeschinis malitiam, sine dubio egressus est tempus, quod solum respiciendum erat, neque minus certe calumniatus est occulta illa inserta criminatione, quasi Demosthenes pecuniarum, quarum pridem rationes rettulerat, partem avertisset. Errat autem Halmius censens Aeschinem, quia hoc fecerit, semet ipsum iure argumenti ex officio rationum reddendarum ducendi privasse.

Iam uti optimo iure omnino hoc argumento nisus est, sic etiam, si singulas perlustramus rationes, omnia hac in parte bene se habere videmus. Nihilo minus Halmius stolida quaedam sophismata huic inserta investigasse sibi visus est, quae tamen haud dificile dilui poterunt.

Demosthenis, quum Ctesiphon decretum tulit, duo erant magistratus, theorici enim munere fungebatur simul et moenium reficiendorum. De theoricis autem dicit Aeschines § 25: *οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικόν κεχειροτονημένοι ἦρχον μὲν πρὶν ἢ τὸν Ἡγήμονος νόμον γενέσθαι, τὴν τοῦ ἀντιγραφέως ἀρχὴν, ἦρχον δὲ τῶν ἀποδεκτῶν, καὶ νεωρίων ἀρχὴν καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν, ἦσαν δὲ καὶ ὁδοποιοὶ καὶ σχεδὸν τὴν ὅλην διοίκησιν εἶχον τῆς πόλεως.* Cum his non congruere vult vir doctissimus, quae paulo post § 26 ex. leguntur: *ὁ δὲ Κτησιφῶν Δημοσθένην τὸν συλλήβδην ἁπάσας τὰς Ἀθήνησιν ἀρχὰς*

ἄρχοντα οὐκ ὤκνησε γράψαι στεφανῶσαι. Quum enim, quod Aeschines ipse dicat, haec nimia theoricorum potestas Hegemonis lege fracta esset, non potuisse nisi sophistice etiamtunc dici: Δημοσθένην τὸν συλλήβδην ἁπάσας τὰς Ἀθήνησιν ἀρχὰς ἄρχοντα.

Hoc quidem nemo non videt unum theoricorum magistratum non omnia munera amplexum esse, quae Aeschines enumerat[1]); sed praeter hanc superlationem me nescire confiteor, quod sophisma in illis verbis insit. Erravit potius Halmius, qui negat posse legem Hegemonis anno 337 posteriorem fuisse. Obicit enim Boeckhio, qui eam inter annum 339 et 330 posuit[2]), p. 4. in ann. haec: „Der Terminus ad quem des Hegemonischen Gesetzes ist hier sicherlich unrichtig bestimmt; es muss statt Olymp. 112,3 heissen 110,4 = 337 v. Chr. Denn da Aeschines seine Rede in das Jahr 336 v. Chr. versetzt, wo Demosthenes noch im Amte war, und von der ausgedehnten Amtsgewalt der Vorsteher der Theorikencasse als von einer vergangenen spricht, so ist es offenbar, dass das Gesetz des Hegemon vor dem Jahr 336 gegeben war". At quomodo, quaeso, probatur id, quod contendit, Aeschinem orationem suam ad annum 336 rettulisse? Patet cum viro doctissimo concludi non posse, nisi statuamus orasse Aeschinem anno 330 tamquam sex annis ante oraret, quod per se nec satis aptum, nec necessarium, nec tam facile factu fuisse existimo, ut omnino veri sit simile oratorem sic loqui voluisse. At nec fecit, nec voluit facere id, quod Halmium statuisse eo magis mireris, quum non ad Westermanni de quarto illo spatio sententiam inclinare videatur. Sed etiamsi hunc καιρόν, quo solo iam viri doctissimi opinio redarguitur, postea additum esse crediderit, tot restant loci, qui vel rebus tractatis vel singulis verbis testantur non quasi

---

[1]) cf. Droysen: Zeitschrift für Alterthumsw. 1839, p. 550 not. Uebrigens wird man von Aeschines Ausdruck wohl bedeutendes subtrahiren und annehmen müssen, dass die Theorikenkasse nur hier und da einmal alle oder die meisten der dort angeführten Dinge in sich vereinigt hatte etc. Huic assentitur Boeckh. Urk. über d. Seew. p. 63.

[2]) Staatshaush. I, 251.

anno 336 sed 330 oratum esse, ut exempla afferre non opus esse sentiam; nec desunt huiusce modi testimonia in oratione Demosthenica [1]).

Quae quum ita sint, sophisma illud, quod Aeschini exprobrat, solvitur statim apparetque ea, quae de Hegemonis lege annotat, probari non posse. Nam si totum locum minus suspiciose contemplamur, docemur legem ne posse quidem ante annum 336 latam esse, Boeckhii autem coniecturam corrigendam quidem esse, sed ita, ut legem inter annum 336 et 330 ponamus, quod recte iam fecit Droysenius [2]). Ceterum probabilis mihi videtur coniectura Boehneckii, qui eam anno Ol. CXI, $^{2}/_{3}$ = $33^{5}/_{4}$ a. Chr. latam esse autumat [3]).

Vereor autem, ne in errorem Halmius inciderit, quod § 26 participium *ἄρχοντα* falso interpretatus est. Inde enim non concludendum est Demosthenem eo tempore, quo oravit Aeschines, theoricis praefuisse, sed solum hoc, theoricorum magistratum etiamtunc, quum Demosthenes hoc munere fungebatur, eam habuisse potestatem, quam Hegemonis lege sublatam esse orator dicit. Praestigiarum autem circulatoriarum, quas nimis suspiciose investigat, crimen Aeschinem non meruisse, nescio an quodammodo iam eo probetur, quod praeter istam superlationem hic vere videtur egisse. Certe quidem, si illud *Δημοσθένην τὸν συλλήβδην ἁπάσας τὰς Ἀθήνησιν ἀρχὰς ἄρχοντα* prorsus mentitus esset, legem Hegemonis non commemorasset, quae utrum ante Demosthenis officium, an post illud lata esset, cuique iudicum notum esse nescire non poterat. Accedit, quod ne opus quidem erat exponere, quanta fuisset, huius magistratus potestas, quoniam prorsus sufficiebat ostendere Demosthenem anno 336 theoricum administrasse itaque *ὑπεύθυνον* fuisse. Nihilo minus Aeschines tam supervacanea mendacia, quae tam facile insuper refutari posent, protulerit? Minime. Hoc quidem si

---

[1]) cf. Rauchenstein: l. l. p. 21 sq.

[2]) l. l. Das Gesetz des Hegemon ist nachdem Dem. die Theorikenkasse verwaltete und vor dem Prozess gegen Ktesiphon, also zwischen Ol. 111, 1 u. 112, 3 gegeben.

[3]) Forschungen I, p. XIII.

fecisset, profecto ipse suam argumentationem infirmasset, quod nescio quo iure Halmius sua ex sententia putet factum esse, si commemorasset legem post annum demum 336 latam [1]).

Sed transeamus ad ea, quae Aeschines de altero Demosthenis munere profert. In his enim vir doctissimus multo etiam graviores fallacias indagasse sibi visus est. Praecavet orator §§ 13—16, ne forte obiciant adversarii *τειχοποιίαν* non esse *ἀρχήν*, sed tantum *ἐπιμέλειαν καὶ διακονίαν*. Jam exprobrat Halmius oratori, quod, quamvis in iure attico diserte discernatur inter magistratus et curationes, tamen hoc certum discrimen sophistice neget et allata quidem lege de probatione magistratuum, quae quum de magistratibus ordinariis et extraordinariis idem verbum *ἄρχειν* exhibeat, effici sophisma, quasi lex ipsa curatores ordinariis magistratibus annumeret; idemque sophisma paulo post iterum adhiberi. Pergit enim p. 5: „Dieses plumpe und nichts weniger als feine Sophisma wird weiter unten § 29 ff. nochmals aufgetischt, wo Aeschines die Gattungen athenischer Behörden erörtert (*ἔστι τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς εἴδη τρία*), aber in dem von ihm angeführten Gesetze wieder nur von der Dokimasie der Beamten die Rede ist. Hier wird aus den Worten *τούτους ἄρχειν δοκιμασθέντας* der feine Schluss gezogen (§ 31), dass die pandionische Phyle den Demosthenes *ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε*.“ At haec quam falsa sit simplicissimae gravissimaeque argumentationis interpretatio, quivis facillime videbit ipsa oratoris verba paulo accuratius et aequius inspiciens, quam a viro doctissimo factum esse valde miratus sum, qui ne verba quidem legis, quibus ille pro testimonio utitur, integra ascripsit.

Primum enim, si quid video, neutiquam negat Aeschines notissimum illud discrimen, quod est inter munera ordinaria et extraordinaria. Occurrit exspectatis adversariorum latebris § 14 hisce: *ἐγὼ δὲ πρὸς τοὺς λόγους τοὺς τούτων νόμον*

---

[1]) p. 4. ann. ex.: Es wäre ein unverzeihlicher Fehler des Aeschines gewesen, wenn er durch Bezugnahme auf ein später gegebenes Gesetz seine eigne Beweisführung geschwächt hätte.

ὑμέτερον παρέξομαι, ὃν ὑμεῖς ἐνομοθετήσατε λύσειν ἡγούμενοι τὰς τοιαύτας προφάσεις, ἐν ᾧ διαρρήδην γέγραπται, „τὰς χειροτονητάς" φησιν „ἀρχὰς" ἁπάσας ἑνὶ περιλαβὼν ὀνόματι ὁ νομοθέτης, καὶ προσειπὼν ἀρχὰς ἁπάσας εἶναι, ἃς ὁ δῆμος χειροτονεῖ, „καὶ ἐπιστάτας" φησὶ „τῶν δημοσίων ἔργων". ἔστι δὲ ὁ Δημοσθένης τειχοποιός, ἐπιστάτης τοῦ μεγίστου τῶν ἔργων· „καὶ πάντας, ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως πλέον ἢ τριάκονθ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων" — οἱ δὲ τῶν ἔργων ἐπιστάται πάντες ἡγεμονίᾳ χρῶνται δικαστηρίου· τί τούτους κελεύει ποιεῖν; οὐ διακονεῖν, ἀλλ' ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ κτλ. Ex his nescio, quomodo sequatur infitiari Aeschinem discrimen, quod extat inter *τὰς χειροτονητὰς ἀρχὰς* et *τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων*. Quod si voluisset, certe non legem attulisset, quae, uti ipse Halmius vidit, ipsum hoc discrimen tam dilucide exhibet. Multo etiam clarius puto quam hic ordinarii magistratus et extraordinarii disiunguntur § 29.[1]) Hoc nimirum concedendum est Halmio,[2]) in lege quum scriptum sit *ἄρχειν δοκιμασθέντας*, non tam verbum quam participium *δοκιμασθέντας*' mairorem vim habuisse. Quod tamen etiam Aeschinem nosse et concessisse apparet ex eis, quae l. l. parenthetice, ut aiunt, addidit: *ἐπειδὴ καὶ αἱ κληρωταὶ ἀρχαὶ οὐκ ἀδοκίμαστοι, ἀλλὰ δοκιμασθεῖσαι ἄρχουσι.* Nihilo secius oratorem in tota hac parte illi *ἄρχειν* graviorem vim tribuisse docemur imprimis § 31 ubi: *ὁ μὲν νομοθέτης*, inquit, *τοὺς ἐκ τῶν φυλῶν ἄρχειν κελεύει δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην*, et § 16, ubi haec sunt: *ὅταν τοίνυν — ἃς ὁ νομοθέτης ἀρχὰς ὀνομάζῃ, οὗτοι*[3]) *προσαγορεύωσι πραγματείας καὶ ἐπιμελείας κτλ.*

---

[1]) ἔστι γάρ, ὦ Ἀθηναῖοι, τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς εἴδη τρία, ὧν ἓν μὲν καὶ φανερώτατον οἱ κληρωτοὶ καὶ οἱ χειροτονητοὶ ἄρχοντες, δεύτερον δὲ ὅσοι τι διαχειρίζουσι τῶν τῆς πόλεως ὑπὲρ τριάκοντα ἡμέρας, καὶ οἱ τῶν δημοσίων ἔργων ἐπιστάται κτλ.

[2]) p. 5. Was das Gesetz befahl ist deutlich genug: sie sollten ihres Amtes walten nur nach vorhergängiger Prüfung; der Hauptnachdruck liegt nicht in *ἄρχειν*, sondern in *δοκιμασθέντας*.

[3]) Sic legerim cum Weidnero; vide quae hic ad. § annotat.

Sed verendum est, ne quis obiciat, ex his ipsis locis luce clarius patere nihil aliud voluisse oratorem nisi demonstrare *τειχοποιίαν* esse magistratum. Sane et optimo iure. Nam sine dubio est magistratus si non angustiore tamen latiore vocis vi. Notum est, qnam lato significatu vocabulum *ἀρχῆς* usurpari solitum sit,[1]) cuius quam incerta fuerit definitio optime testatur Aristoteles, qui Pol. IV, 12, 2 dicit: *ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτο διορίσαι ῥᾴδιον, ποίας δεῖ καλεῖν ἀρχάς.* Idem philosophus *ἀρχῆς* notionem accuratius circumscribit ibid. 12, 3. hisce: *μάλιστα δ' ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περί τινῶν καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο, τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστιν.* Sed longum est nec attinet hac de re fusius quaerere, sufficiat igitur commemorare haec: quamquam constat eorum, qui publica negotia curabant, apud Athenienses genera fuisse tria, *ἀρχόντων* videlicet et *ἐπιμελητῶν* et *ὑπηρετῶν*, quos latine licet appellare magistratus, curatores, ministros, tamen haec subtilior generum distinctio inusitatior erat, quam quae semper accurate observaretur; immo *ἐπιμεληταί* saepius appellantur, qui, si acrius distinguimus, potius magistratibus annumerandi videntur, et magistratus vicissim nominantur, qui pro curatoribus vel etiam ministris habendi sunt. In universum autem distingui solebant soli magistratus, qui nullam operae mercedem accipiebant, et ministri mercennarii,[2]) ita ut, qui magistratibus et qui curationibus tantum fungebantur, eodem nomine *ἄρχοντες* dicerentur. Atque hoc latiore vocis sensu contendit Aeschines Demosthenis reficiendorum moenium curam fuisse *ἀρχήν*, idque eo meliore iure, quod in ipsa lege, quam affert, omnes, qui enumerantur, ordinarii et extraordinarii magistratus eodem modo *ἀρχαὶ* appellantur. Hoc autem fugit Halmium, qui in lege exscribenda ipsam eam partem, quae ad omnem huius loci rationem recte perspiciendam summi momenti est, nescio quo iure prorsus neglexit omisitque. Dicit

---

[1]) Hudtwalcker: l. l. p. 32. Schömann: de com. p. 307 sq. Hermann: de iure et auctor. magg. ap. Ath. p. 32 sqq.

[2]) cf. Boeckh: l. l. I, 338.

enim p. 4. „Von diesem werden folgende Worte § 14 mit einem φησίν (sc. ὁ νόμος) angeführt: „τὰς χειροτονητὰς ἀρχὰς . . . καὶ τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων — καὶ πάντας ὅσοι διαχειρίζουσί τῶν τῆς πόλεως πλεῖν (sic scripsit cum Weidnero) ἢ τριάκονθ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων — τί τούτους κελεύει ποιεῖν; οὐ διακονεῖν, ἀλλ' (die drei Worte Zusatz des Aeschines) ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ." Pergit autem orator: καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς. Haec verba quin in ipsa lege scripta fuerint, non est cur dubitemus [1]), et ex his demum omnino potest intellegi, quaenam sit vera oratoris argumentatio et quem ad finem legem afferat. Recordandum autem ante est, quibusnam effugiis omnino hic repugnet?

Negaturos exspectat adversarios eum, qui ex populiscito creatus aliquod publicum negotium administret, esse magistratum. Profecto. Sed quo consilio negabunt? Nempe eo, ut demonstrent Demosthenem non fuisse ὑπεύθυνον, nam tota hac parte nihil tractatur nisi officium rationum reddendarum. Has igitur argutias ut diluat refellatque, opponit adversariis legem, quae non modo ad probationem magistratuum, quod Halmius autumat, sed etiam ad depositorum munerum rationes reddendas spectabat quaeque, quum inter eos, quos utrisque astringebat, diserte enumeraret τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων, qualis erat curator murorum

---

[1]) Verba καὶ λόγον — λογιστὰς legis esse nemo dubitat, contra quae sequuntur καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς nisi fallor omnes pro oratoris additamento habent; similibus nimirum adducti additamentis et explicationibus, quas ante legis verbis inseruit At quum non abhorrere videantur a legum dictione (cf. e. c. C. J. A. I, n. 32: ταμίας δὲ ἀποκυαμεύειν τούτων τῶν χρημάτων ὁτάμπερ τὰς ἄλλας ἀρχάς, καθάπερ τοὺς τῶν ἱερῶν τῶν τῆς Ἀθηναίας — deinde: οἱ ἀεὶ ταμίαι — ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια τὸλλόγον διδόντων καθάπερ οἱ τὰ τῆς Ἀθηναίας ταμιεύοντες), nec aliud quid obstet, quominus haec verba ipsi legi tribuamus, non dubito hoc facere, quod non modo eis, quae § 16 leguntur: ἃς ὁ νομοθέτης ἀρχὰς ὀνομάζῃ postulari, sed etiam verbo κελεύει, quod in codd. subsequitur, a Frankio autem (v. Praef. XVII) aliisque deletur, optime probari mihi videtur.

Sed verendum est, ne quis obiciat, ex his ipsis locis luce clarius patere nihil aliud voluisse oratorem nisi demonstrare *τειχοποιίαν* esse magistratum. Sane et optimo iure. Nam sine dubio est magistratus si non angustiore tamen latiore vocis vi. Notum est, qnam lato significatu vocabulum *ἀρχῆς* usurpari solitum sit,[1]) cuius quam incerta fuerit definitio optime testatur Aristoteles, qui Pol. IV, 12, 2 dicit: *ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτο διορίσαι ῥᾴδιον, ποίας δεῖ καλεῖν ἀρχάς.* Idem philosophus *ἀρχῆς* notionem accuratius circumscribit ibid. 12, 3. hisce: *μάλιστα δ' ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο, τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστιν.* Sed longum est nec attinet hac de re fusius quaerere, sufficiat igitur commemorare haec: quamquam constat eorum, qui publica negotia curabant, apud Athenienses genera fuisse tria, *ἀρχόντων* videlicet et *ἐπιμελητῶν* et *ὑπηρετῶν,* quos latine licet appellare magistratus, curatores, ministros, tamen haec subtilior generum distinctio inusitatior erat, quam quae semper accurate observaretur; immo *ἐπιμεληταί* saepius appellantur, qui, si acrius distinguimus, potius magistratibus annumerandi videntur, et magistratus vicissim nominantur, qui pro curatoribus vel etiam ministris habendi sunt. In universum autem distingui solebant soli magistratus, qui nullam operae mercedem accipiebant, et ministri mercennarii,[2]) ita ut, qui magistratibus et qui curationibus tantum fungebantur, eodem nomine *ἄρχοντες* dicerentur. Atque hoc latiore vocis sensu contendit Aeschines Demosthenis reficiendorum moenium curam fuisse *ἀρχήν,* idque eo meliore iure, quod in ipsa lege, quam affert, omnes, qui enumerantur, ordinarii et extraordinarii magistratus eodem modo *ἀρχαὶ* appellantur. Hoc autem fugit Halmium, qui in lege exscribenda ipsam eam partem, quae ad omnem huius loci rationem recte perspiciendam summi momenti est, nescio quo iure prorsus neglexit omisitque. Dicit

---

[1]) Hudtwalcker: l. l. p. 32. Schömann: de com. p. 307 sq. Hermann: de iure et auctor. magg. ap. Ath. p. 32 sqq.

[2]) cf. Boeckh: l. l. I, 338.

enim p. 4. „Von diesem werden folgende Worte § 14 mit einem *φησίν* (sc. ὁ *νόμος*) angeführt: „*τὰς χειροτονητὰς ἀρχὰς . . . καὶ τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων — καὶ πάντας ὅσοι διαχειρίζουσί τῶν τῆς πόλεως πλεῖν* (sic scripsit cum Weidnero) *ἢ τριάκονθ' ἡμέρας, καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων — τί τούτους κελεύει ποιεῖν; οὐ διακονεῖν, ἀλλ'* (die drei Worte Zusatz des Aeschines) *ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ.*" Pergit autem orator: *καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς.* Haec verba quin in ipsa lege scripta fuerint, non est cur dubitemus [1]), et ex his demum ommino potest intellegi, quaenam sit vera oratoris argumentatio et quem ad finem legem afferat. Recordandum autem ante est, quibusnam effugiis omnino hic repugnet?

Negaturos exspectat adversarios eum, qui ex populiscito creatus aliquod publicum negotium administret, esse magistratum. Profecto. Sed quo consilio negabunt? Nempe eo, ut demonstrent Demosthenem non fuisse *ὑπεύθυνον*, nam tota hac parte nihil tractatur nisi officium rationum reddendarum. Has igitur argutias ut diluat refellatque, opponit adversariis legem, quae non modo ad probationem magistratuum, quod Halmius autumat, sed etiam ad depositorum munerum rationes reddendas spectabat quaeque, quum inter eos, quos utrisque astringebat, diserte enumeraret *τοὺς ἐπιστάτας τῶν δημοσίων ἔργων*, qualis erat curator murorum

---

[1]) Verba *καὶ λόγον — λογιστὰς* legis esse nemo dubitat, contra quae sequuntur *καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς* nisi fallor omnes pro oratoris additamento habent, similibus nimirum adducti additamentis et explicationibus, quas ante legis verbis inseruit At quum non abhorrere videantur a legum dictione (cf. e. c. C. J. A. I, n. 32: *ταμίας δὲ ἀποκυαμεύειν τούτων τῶν χρημάτων ὁτάμπερ τὰς ἄλλας ἀρχάς, καθάπερ τοὺς τῶν ἱερῶν τῶν τῆς Ἀθηναίας* — deinde: *οἱ ἀεὶ ταμίαι — ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια τὸλλόγον διδόντων καθάπερ οἱ τὰ τῆς Ἀθηναίας ταμιεύοντες*), nec aliud quid obstet, quominus haec verba ipsi legi tribuamus, non dubito hoc facere, quod non modo eis, quae § 16 leguntur: *ἃς ὁ νομοθέτης ἀρχὰς ὀνομάζῃ* postulari, sed etiam verbo *κελεύει*, quod in codd. subsequitur,· a Frankio autem (v. Praef. XVII) aliisque deletur, optime probari mihi videtur.

reficiendorum, et de his insuper non minus quam de veris magistratibus et ἄρχειν verbum et ἀρχαί usurparet, mehercule talis est, ut spinosum, quod exspectat argumentum, tamquam uno ictu prorsus redarguat. Quae quum ita sint, vituperari non potest Aeschines, quod § 16 recitata lege pergit: Ὅταν τοίνυν, ὦ Ἀθηναῖοι, ἃς ὁ νομοθέτης ἀρχὰς ὀνομάζῃ, οὗτοι προσαγορεύωσι πραγματείας καὶ ἐπιμελείας, ὑμέτερον ἔργον ἐστὶν ἀπομνημονεύειν καὶ ἀντιτάττειν τὸν νόμον πρὸς τὴν τούτων ἀναίδειαν, καὶ ὑποβάλλειν αὐτοῖς, ὅτι οὐ προσδέχεσθε κακοῦργον σοφιστὴν οἰόμενον ῥήμασι τοὺς νόμους ἀναιρήσειν κτλ. Nam adversarii si, quod fingit, fecissent, quam argute et sophistice argumentati essent, quis est, quin videat? Quid tandem retulit, utrum Demosthenes artiore vocis sensu ἄρχων fuisset, an ἐπιμελητῶν tantum ordini annumerandus, quum id solum ageretur, fuissetne rationibus reddendis obnoxius necne, et curatores etsi non omnes, ut videtur, tamen ei, qui amplius XXX dies munere suo fungebantur quibusque iudiciis praeesse licebat, et in his publicorum operum praefecti huic officio subiecti essent!

Cavendum autem est, ne cum Halmio censeamus negasse Aeschinem subtilius magistratuum et curationum discrimen, quod, ut faciat, tantum abest, ut aliud demonstrare nolit nisi magistratus et curatores nihil inter se differre in ipsa ea re, in qua totius quaestionis tamquam cardo versabatur. Τειχοποιίαν autem quum ἀρχήν esse contendat, hanc vocem non angustiore, sed eadem latiore notione intellegit, quam in ipsa lege habuit, idemque suo iure poscit etiam ab adversariis l. l. dicens: χρὴ γάρ, ὦ Ἀθηναῖοι, τὸ αὐτὸ φθέγγεσθαι τὸν ῥήτορα καὶ τὸν νόμον.

Haec igitur si est oratoris argumentatio, nec potest alia esse, [1]) nescio, quam cavillationem commiserit. Videmus

---

[1]) Miror etiam alios simili modo atque Halmium in interpretando hoc loco errasse veluti Ant. Baumstarkium, qui libello inscripto: De curatoribus emporii et nautodicis ap. Ath. p. 20 dicit: „Integrum oratoris argumentum nihil est aliud nisi ingeniosi sed calumniosi etiam et mendacis (qualem se in oratione adversus Ctesiphontem praecipue praestitit) rhetoris sophistica hariolatio et verborum maligna

igitur hucusque omnia, quae Aeschines profert, et vere et acute dicta esse, nec aliter de eis iudicandum erit, quae porro inde a § 28 usque ad 31 disputat.

His enim §§ eodem modo ratiocinatus demonstrat Demosthenem, quum refectionem murorum curaret, fuisse magistratum; neque tamen prorsus eadem res hic atque antea agitur, id, quod maxime propter A. Kirchhoffium, virum doctissimum transire nolim. Dicit enim hic in libello nuper edito[1]) §§ 28—30 denuo fusius quam decuerit tractari argumentum, quod iam §§ 13—16 satis absolutum sit, unde putat confirmari suam de totius huius partis compositione sententiam, quam infra paucis attingam. Item olim Taylorus suspicatus est orationem per totam hanc partem laborare in actis agendis. Hanc autem suspicionem vanam esse recte iam monuit Reiskius.

Etenim supra § 13 adversariorum effugium orator praedicit hisce: *λέξουσι δὲ, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἕτερόν τινα λόγον ὑπεναντίον τῷ ἀρτίως εἰρημένῳ, ὡς ἄρα, ὅσα τις αἱρετὸς ὢν πράττει κατὰ ψήφισμα, οὐκ ἔστι ταῦτα ἀρχὴ, ἀλλ' ἐπιμέλειά τις καὶ διακονία· ἀρχὰς δὲ φήσουσιν ἐκείνας εἶναι, ἃς οἱ*

———

depravatio; sophistam enim agit, cum quod latiore vocis sensu ἀρχή dici poterat et a Demosthene ipso dicebatur, munus τειχοποιοῦ, id angustiore vocis vi ἀρχήν nominandum esse contendit." — Idem paulo ante p. 19. n. 27 vult oratorem argumentatum esse sic: „primi verique magistratus ὑπεύθυνοι sunt; ergo infimi etiam curatores et ministri, quibus post administratam rem ratio est reddenda, cum primis illis eiusdem sunt ordinis eiusdemque auctoritatis." — Hanc falsam Baumstarkii interpretationem refutat Hermannus in commentatione de iure et auctor. magg. p. 40 sqq, qui tamen ipse oratoris mentem non recte perspexit eodemque errore, quo illius argumentatione laborat, captus praeter necessitatem operam dat, ut demonstret τειχοποιίαν non curationem, sed verum magistratum fuisse itaque Baumstarkio opponit Aeschinis ratiocinationem e contrario esse hanc, ut „eos, qui simili cum primis magistratibus potestate atque auctoritate uterentur, rationes quoque, ut illos, reddere debere" contendat (p. 45). Sed nescio, an hanc sententiam ipse postea abiecerit, quoniam quae hic de τειχοποιίᾳ et omnino de munerum distinctione disputavit, non iam retinere videtur. cf. Staatsalterth 147, 150, 9.

[1]) Ueber die Redaction der Demosthenischen Kranzrede. Berol. 1875.

θεσμοθέται ἀποκληροῦσιν ἐν τῷ Θησείῳ, κἀκείνας, ἃς ὁ δῆμος εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις, στρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους καὶ τὰς μετὰ τούτων ἀρχάς, τὰς δ' ἄλλας ταύτας πραγματείας προστεταγμένας κατὰ ψήφισμα. Veretur igitur, ne omnino obiciant eum, qui suffragiis creatus unam aliquam partem reipublicae populiscito administret, non esse magistratum. Nam illud *αἱρετὸς ὢν* etsi quadam graviore vi dictum, tamen non ita est intellegendum, ut prematur: si quis a tribulibus creatus aliquod publicum negotium gerit, quae est Weidneri sententia, immo in universum de eo, qui suffragiis creatus est, dictum eiusque contrarium non *χειροτονητός*, sed *κληρωτός* intellegendum est.[1]) Summum autem momentum inest in verbis *κατὰ ψήφισμα*, quibus apponuntur: *εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις.*

Iam videamus, quid agatur § 28 sqq. Exposuit Aeschines § 27 Demosthenem ipsum rogasse, ut moenium curatores et quaestores crearentur neque cuncti in comitiis, sed in tribulium conciliis singuli ex singulis tribubus. Deinde recitari iussit populiscita huc pertinentia.[2]) Iam veretur, ne inde

---

[1]) Item § 14 *ταῖς χειροτονηταῖς ἀρχαῖς*, quas lex commemorat, opponendae sunt non *αἱρεταί* sed *κληρωταί*. Nil inter se differre *χειροτονητούς* et *αἱρετούς* recte iam ostendit Tittmannus: Darstellung der gr. Staatsverfass. p. 305 n. 58 et Boeckhius: Index lectt. Berol. 1830 p. 6. cf. Hermann: Staatsalterth. 149, 1. Schoemann: Gr. Alterth. I, p. 427. — Certe quidem Aesch. nullum inter eos facit discrimen. Nam § 29 nomen *αἱρετός* non minus latere quam hic liquet iam inde, quod si *αἱρετοί* per se essent, qui a tribubus eligebantur, plane supervacanea videretur ratiocinatio, quam adhibet § 30: *ἐπειδὰν δ' ἀφέλῃ τις κτλ.*, rursus si *χειροτονεῖν* intellegi non posset nisi de populi creatione, supervacaneum esset, quod saepius addidit: *ὁ δῆμος* vel *ὑπὸ τοῦ δήμου*. — In verbis autem § 30: *τούτους αἱρετοὺς ἄρχοντας εἶναι*, si omnino retinenda sunt, sine dubio non tam *αἱρετούς* quam *ἄρχοντας* graviorem habet vim.

[2]) De his recte mihi coniecisse videtur Weidnerus, qui Proll. p. VIII in ann. dicit: „Demosthenis duo testimonia supererant: primum illa lex, qua tribus murorum curatores creare iubentur, deinde plebiscitum, quo Pandionis tribus hoc munus Demostheni mandavit. Haec fuerunt quae Aeschines recitavit *τὰ ψηφίσματα.*“ Huic ut accedam, moveor eo potissimum, quod si tribus decretum recitavit, eo facilius intellegitur, quomodo adversarios in novam istam excusationem de-

adversarii novum argumentum confingant. Dicit § 28: *Ναί, ἀλλ' ἀντιδιαπλέκει πρὸς τοῦτο εὐθὺς λέγων, ὡς οὔτ' ἔλαχε τειχοποιὸς οὔτ' ἐχειροτονήθη ὑπὸ τοῦ δήμου.* In his ultimis verbis, quae ad utrumque verbum referenda sunt et *ἔλαχε* et *ἐχειροτονήθη*, omnis vis posita est. Occupat igitur hic orator eam excusationem, quasi Demosthenes populi magistratus non fuerit, quod non ab universo populo, sed a tribu sua constitutus muros reficiendos curarit. Diversa agebatur res supra, ubi, populine an tribulium suffragiis creatus fuerit, non quaeritur.

Quomodo autem diluit has novas latebras? Exponit § 29 magistratuum genera esse tria, quorum tertium complectatur eos, qui in lege significentur his verbis: *καὶ εἴ τινες ἄλλοι αἱρετοὶ ἡγεμονίας δικαστηρίων λαμβάνουσι.* Deinde autem subductis calculis demonstrat hos alios esse non posse nisi, qui extra ordinem a tribubus, phratriis, curiis ex ipsorum numero delecti quocunque publico munere fungantur, § 30: *ἐπειδὰν δ' ἀφέλῃ τις τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου κεχειροτονημένους καὶ τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας, καταλείπονται, οὓς αἱ φυλαὶ καὶ αἱ τριττύες καὶ οἱ δῆμοι ἐξ ἑαυτῶν αἱροῦνται τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν [τούτους αἱρετοὺς ἄρχοντας εἶναι[1]]. τοῦτο δὲ γίγνεται, ὅταν, ὥσπερ νῦν, ἐπιταχθῇ τι ταῖς φυλαῖς, ἢ τάφρους ἐξεργάζεσθαι ἢ τριήρεις ναυπηγεῖσθαι.*

Ostendit igitur legem, quam recitari iubet, etiam ad eos pertinere, qui publica negotia etsi non ab universo populo sed

---

lapsuros exspectare potuerit. Ceterum nescio an haec sententia optime probetur verbis, quae extant § 31: *ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην.* — Ctesiphontis legem hic recitatam esse non credo, quippequam non modo paulo post § 33 recitari sciamus, sed etiam brevi ante § 24 allatam esse veri sit simillimum (vide infra p. 37.) Quod si ita est, apparet, quam vere iam Hamakerus (Mnemos. VIII, p. 2) iusserit § 27 pro: *τούτων ὑμῖν αὐτὸν Δεμοσθένην καὶ Κτησιφῶντα μάρτυρας παρέξομαι*, quae est vulgaris lectio, scribi: *τούτων ὑμῖν αὐτὸν Δεμοσθένην μάρτυρα παρέξομαι.* Sic fecit Weidnerus aliique. Contra non opus est Frankii coniectura, qui (Praef. p. XVIII) ex. § pro *λέγε μοι τὰ ψηφίσματα — Ψηφίσματα*, scribi vult singularem numerum.

[1]) Haec verba expungit Scheibius (cf. N. Jhrb. f. Philol. LXVIII, p. 156), quem secuti sunt Schultzius et Weidnerus.

a tribulibus tantum delata administrent, eosque non minus quam alios magistratus et curatores ἄρχειν iubere δοκιμασθέντας. Itaque optimo iure dicit § 31: ἡ δὲ Πανδιονὶς φυλὴ ἄρχοντα καὶ τειχοποιὸν ἀπέδειξε Δημοσθένην, in quibus nihil offendemus, si meminerimus Aeschinem magistratus nomen non proprio, sed latiore sensu intellegere nec aliud quidquam demonstrare velle, nisi hoc Demonsthenem praefectum publicorum operum rationibus reddendis obnoxium fuisse. Quod si satis tenuisset Halmius, eius rationem certe non tam acerbe vituperasset.

Restat unum, quod paucis absolvamus. Nescio enim, an vir doctissimus § 27 quodammodo falso intellexerit, quum dicat p. 6: „Ja Demosthenes wird selbst dafür, dass er „τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν (§ 27 in.), als Zeuge aufgeführt; denn er war es selbst der das Psephisma für Einsetzung einer Commission zum Mauerbau eingebracht und dabei den Antrag gestellt hatte: ἑκάστης τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων περὶ τὰ τείχη καὶ ταμίας, d. h. nach des Aeschines Deutung, er hatte selbst den Antrag auf Einsetzung einer ἀρχή gestellt."

Videtur igitur putare etiam hic id agi, ut Demosthenis negotium ἀρχήν fuisse demonstret. Quae tamen opinio falsa est; nam ex ipsis verbis τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων sine dubio ex ipsa rogatione sumptis luce clarius patet Aeschinem hoc consilio eam nec potuisse nec voluisse commemorare. Immo prorsus aliam esse totius loci sententiam ex eis statim colligi potest, quae verba τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν subsequuntur: ὅθ' οὗτος τὸ ψήφισμα ἔγραψε. Nempe de tempore hic agitur, nec alio consilio Demosthenes tamquam testis producitur nisi hoc, ut videant iudices eum etiamtunc, quum Ctesiphon legem de corona proposuisset, murorum praefecti munere functum esse. Quare tam copiose enarrat, quo anno quoque die Demosthenem rogationem suam promulgarit et qua die tribuum conventus ad creandos curatores fieri iusserit: ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδου ἄρχοντος Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος ἐκκλησίας οὔσης ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν σκιροφο-

ριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ κτλ. Praeterea respicienda est § 24, ubi aperte dicit sese refutatis adversariorum deverticulis ad novam rem tractandam transire, quam claris verbis significat: ὅτι δὲ ὄντως ἦν ὑπεύθυνος ὁ Δημοσθένης, ὅθ' οὗτος εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα, ἄρχων μὲν τὴν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ ἀρχὴν, ἄρχων δὲ τὴν τῶν τειχοποιῶν, οὐδετέρας δέ πω τῶν ἀρχῶν τούτων λόγον ὑμῖν οὐδ' εὐθύνας δεδωκὼς, ταῦτ' ἤδη πειράσομαι ὑμᾶς διδάσκειν ἐκ τῶν δημοσίων γραμμάτων. Atque talis probatio eo minus supervacanea videri potuit, quo longius erat tempus inter litem intentam et actam intermissum. Primum autem, uti indicavit, agit de theorici munere et quaerit, quo tempore hoc Demostheni delatum sit: καί μοι ἀνάγνωθι, ἐπὶ τίνος ἄρχοντος καὶ ποίου μηνὸς καὶ ἐν τίνι ἡμέρᾳ καὶ ἐν ποίᾳ ἐκκλησίᾳ ἐχειροτονήθη Δημοσθένης τὴν ἀρχὴν τὴν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ.

Sed hac prolixa temporis notatione vix quidquam effectum esse credam, nisi scriba simul etiam aliquam partem decreti Ctesiphontei recitasset, ita ut collato die, quo hoc latum erat, cum eo, quo Demosthenes munus susceperat, patefieret rogasse Ctesiphontem priusquam hic munus, quod annuum fuisse locus ipse docet, [1]) peregisset. Huc igitur spectaverit qui in aliquot libris indicatur Διαλογισμὸς τῶν ἡμερῶν, quod recte iam invenit Winiewskius. [2])

Iam quod hic de theorici munere, idem, uti iam vidimus, § 27 de altero Demosthenis munere demonstratur. Ceterum hanc esse harum §§ sententiam testantur etiam, ut ne hoc quidem omittamus, nonnullae verborum formae. Antea enim, quum Aeschines saepius, ubi imperfectum tempus exspectamus, praesenti utatur, veluti § 14: ἔστι δὲ ὁ Δημοσθένης τειχοποιός, vel § 17: λέξει γὰρ οὕτως· τειχοποιός εἰμι· ὁμολογῶ· — τίνος οὖν εἰμι ὑπεύθυνος [3]); hic constanter tempus prae-

---

[1]) cf. Boeckh: l. l. I, p. 250.

[2]) l. l. p. 279. not.

[3]) cf. § 23: ὅταν τοίνυν μάλιστα θρασύνηται Δημοσθένης λέγων, ὡς διὰ τὴν ἐπίδοσιν οὐκ ἔστι ὑπεύθυνος κτλ. § 31: Δημοσθένην, ὃς ἐκ τῆς διοικήσεως εἰς ταῦτα ἔχει μικροῦ δεῖν δέκα τάλαντα.

teritum ponit[1]), id quod praecipue movit Kirchhoffium, ut hanc orationis partem non eodem tempore conscriptam, sed ex duabus partibus diversis temporibus conceptis compositam esse coniciat[2]). Quam sententiam hic paucis refutare liceat.

Putat vir doctissimus §§ 9—23 et 31, quibus, ubi de Demosthenis munere dicitur, tempus praesens invenimus, conscriptas esse eo tempore, quo Demosthenes muneribus suis non iam perfunctus erat nec rationes rettulerat, contra §§ 24—30 postea demum interpositas esse. Sed, si priores illas §§ perlustramus et singula enuntiata, in quibus Kirchhoffius haesit, cautius contemplamur, non esse opinor, cur oratorem de Demosthene etsi munere diu perfuncto ita loqui potuisse negemus. Immo, quum his omnibus non tempus, sed sola res respiciatur, hoc optime potuit, quo gravior quoque efficacior fieret oratio. Contra § 24 et 27, ubi de tempore agitur, praesens ponere non debuit. Alteram causam, quam Kirchhoffius profert, sc. §§ 28—30 iterum fusius quam deceat agi, quod iam §§ 13—16 actum sit, supra refutavimus. Ex varietate autem temporum non colligendum est hanc partem diversis temporibus conscriptam esse. — Quod si ita est, cadet etiam, quod vir doctissimus porro conclusit: „dass Demosthenes in seiner vorliegenden Ausführung in einem Punkte über das Ziel hinausgeschossen und einen Gegenstand berührt hat, den Aeschines zu behandeln gar nicht beabsichtigte und wenigstens in der gerichtlichen Verhandlung unerwähnt gelassen hatte“ (p. 64). Suspicatur enim Aeschinem, quoniam §§ 9—23 de sola murorum cura agat, nihil dicat de theorici munere, hoc in iudicio omnino non commemorasse. Demosthenem autem exspectantem adversarium etiam hinc argumentaturum esse, ita instituisse defensionem, ut ne hoc quidem neglegeret. Unde factum esse, ut post auditum Demosthenem etiam Aeschines alterum eius munus respiceret, et § 24—30

---

[1]) cf. § 24: ὅτι δὲ ὄντως ἦν ὑπεύθυνος. § 27: ὡς τοίνυν καὶ τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν κτλ.

[2]) l. l. p. 64 sqq.

orationi adderet. Quod equidem minime crediderim. Neque enim facile est intellectu, cur Aeschines in indicio, de ipso eo munere tacuerit, quo melius etiam, ut videtur, quam altero uti poterat, nec cur, hoc si tamen fecisset, Demosthenes se de eo defenderit et ita defenderit, uti nunc fit. Quae difficultas ne eo quidem solvitur, quod recte, puto, contra vulgarem opinionem Kirchhoffius censet Demosthenem ut moenium praefectum solum, non etiam ut theorici quaestorem donationem fecisse,[1] itaque huius negotii in decreto Ctesiphontis nullam mentionem factam fuisse.

Sed ut redeamus, unde aberravimus, quivis § 27 diligentius inspiciens, haud difficile videbit, Aeschinem non id contendisse, quod Halmius ei crimini dat. Itaque omnia, quae hac in parte profert, optime se habent, neque modo per se sunt acute disputata et ad adversariorum argumenta praeripienda et diluenda egregie apta, sed etiam cum rationibus, et quae antecedunt et quae sequuntur, optime cohaerent. Quod quo melius perspiciatur, liceat nunc, quod haud supervacaneum videtur totius partis, quae continetur §§ 9—31, argumenta paucis adumbrare. Sunt enim haece:

Ctesiphon contempsit legem *ὑπεύθυνον* publice coronare vetantem; rogavit enim, ut Demosthenes coronaretur, quum hic magistratus erat, et ne clausulam quidem addidit: *ἐπειδὰν λόγον καὶ εὐθύνας τῆς ἀρχῆς δῷ* (§§ 9—12). Demosthenes autem propterea, quod murorum refectionem curabat, magistratus et rationibus reddendis obnoxius fuit, quoniam hoc negotium etsi ex populiscito tantum mandatum eis muneribus annumerandum est, quibus affectos lex diserte iubet: *ἄρχειν δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ καὶ λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστὰς, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς*, nil igitur effici potest sophistica provocatione ad subtiliorem magistratuum curatorumque distinctionem (§§ 13—16). Ab hoc officio rationum ferendarum ne donis quidem largis liberatus erat, quibus populum in fungendo munere liberaliter affecit (§§ 17—23). Porro actis publicis probatur Demosthenem revera eo tempore,

[1]) cf. quae annotat p. 65.

quo Ctesiphon legem de corona promulgavit, ὑπεύθυνον fuisse, nam non solum etiamtunc theorici administratione fungebatur (§ 24), cuius magistratus potestas tum summa erat (§§ 25—26), sed eodem tempore etiam pro tribu sua τειχοποιοῦ negotium administrabat (§ 27). Recitantur leges. Quum autem verendum sit, ne adversarii ex his ipsis novum argumentum fingere conentur, quasi Demosthenes publicus magistratus non fuerit, quoniam praefectus murorum non ab universo populo delectus esset, etiam hoc allatis explicatisque legibus praecavetur (§§ 28—30). Denique § 31 omnia denuo paucis comprehenduntur.

Tota haec argumentatio tam simplex, perspicua, vera mihi videtur esse, ut mirer Halmium exprobrasse Aeschini, quod sophistice nec veritati congruenter egerit. Vidimus cavillationes omnes, quas indagasse sibi videtur, non esse cavillationes, immo patet virum doctissimum in vituperatione aequitati parum consuluisse. Certe quidem vix erit, qui ei assentiatur p. 6 dicenti: „Dass Demosthenes es unter seiner Würde fand, eine so sophistische Beweisführung Punkt für Punkt zu widerlegen, ist ganz natürlich; er begnügte sich, sie mit einem scharfen Worte zu zeichnen (§ 111): *Τῶν μὲν οὖν λόγων, οὓς οὗτος ἄνω καὶ κάτω διακυκῶν ἔλεγε περὶ τῶν παραγεγραμμένων νόμων, οὔτε μὰ τοὺς θεοὺς ὑμᾶς οἴομαι μανθάνειν, οὔτ᾽ αὐτὸς ἠδυνάμην συνεῖναι τοὺς πολλοὺς αὐτῶν*“. Rectius iam veteres viderunt, quam debilis sit refutatio Demosthenis, quem nec infirmius nec magis argute unquam se defendisse arbitror, quam hic, quamquam: *ἁπλῶς δέ*, ait, *τὴν ὀρθὴν τῶν δικαίων διαλέξομαι.* Similem in modum iam antea § 58 locutus est, ubi se etiam leges allaturum esse promittit: *τὸ δὲ μὴ προσγράψαντα „ἐπειδὰν εὐθύνας δῷ“ στεφανοῦν, καὶ ἀνειπεῖν ἐν τῷ θεάτρῳ τὸν στέφανον κελεῦσαι, κοινωνεῖν μὲν ἡγοῦμαι καὶ τοῦτο τοῖς πεπολιτευμένοις, εἴτ᾽ ἄξιός εἰμι τοῦ στεφάνου καὶ τῆς ἀναρρήσεως τῆς ἐν τούτοις εἴτε καὶ μή, ἔτι μέντοι καὶ τοὺς νόμους δεικτέον εἶναί μοι δοκεῖ, καθ᾽ οὓς ταῦτα γράφειν ἐξῆν τούτῳ.* Haec ultima verba non ad solam ἀνάρρησιν spectare liquet. At solvitne promissum? Minime. De anarresi quidem affert legem, non de euthynis. Quod ut faciat

tantum abest, ut non dubitet rem prorsus detorquere. Nimirum excusatione, quam Aeschines praecavet, non utitur; neque enim se magistratus potestate usum, nec reddendis rationibus se obnoxium fuisse negat, immo vero concedit se per totam vitam hoc officio illigatum esse § 111: *ἅπαντα τὸν βίον ὑπεύθυνος εἶναι ὁμολογῶ, ὧν ἢ διακεχείρικα ἢ πεπολίτευμαι παρ᾽ ὑμῖν.* At vide modo, quam lubrica ac spinosa sint omnia, quae §§ 111—119 profert! Verbose enim et omni asseveratione comprobat id, quod nemo dubitat, sese donorum, quae fecerit, *ὑπεύθυνον* non esse, Ctesiphontis autem decretum ad haec sola spectare. Deinde ut ostendat, hoc nec legibus nec mori repugnare, compluria decreta recitari iubet, quibus alii simili modo atque ipse de republica meriti coronis laudati sunt. Etiam Ctesiphontis decretum affert idque eo consilio, ut videant iudices sese ab ipso Aeschine earum rerum reddendis rationibus obnoxium non haberi, propter quas corona sibi rogata sit, eiusque accusationem non ad omnia, quae in decreto scripta sint, pertinere: *οἷς γὰρ οὐκ ἐγράψατο τοῦ προβουλεύματος, τούτοις ἃ διώκει συκοφαντῶν φανήσεται!* (§ 118).

Et efficitur inde impensae a Demosthene pecuniae in libello omnino nullam mentionem factam fuisse: *οὐκοῦν, ἃ μὲν ἐπέδωκα, ταῦτ᾽ ἐστίν, ὧν οὐδὲν σὺ γέγραψαι* (§ 119). Scilicet hoc ad propriam iuris quaestionem nihil valebat. Et mehercule magis res depravari vix potuit, quam fit, quum l. l. pergat: *ἃ δέ φησιν ἡ βουλὴ δεῖν ἀντὶ τούτων γενέσθαι μοι, ταῦτ᾽ ἔσθ᾽, ἃ διώκεις. τὸ λαβεῖν οὖν τὰ διδόμενα ὁμολογῶν ἔννομον εἶναι, τὸ χάριν τούτων ἀποδοῦναι παρανόμων γράφει.*

Ergo luculenter disputat ea, quae plane aliena sunt a re proposita, et demonstrat id, quod nec Aeschines negavit, nec unquam quisquam in dubium vocavit; contra ad gravissima illius argumenta ne verbo quidem respondet, immo nil habet nisi convicia. Concludit enim hanc partem hisce: *ὁ δὲ παμπόνηρος ἄνθρωπος καὶ θεοῖς ἐχθρὸς καὶ βάσκανος ὄντως ποῖός τις ἂν εἴη πρὸς θεῶν; οὐχ ὁ τοιοῦτος;*

Sed haec hactenus.

III.

Iam restat caput tertium, quo nobis tractanda est difficilior quaestio de coronae renuntiatione in theatro facienda. Agit Aeschines hac de re §§ 32—48. Ostendit Ctesiphontis decretum etiam propterea ferri non posse, quod honoris renuntiationem in theatro fieri iubeat, quae ex lege potius in contione populi facienda sit. Iam quum inter omnes constet Aeschinem, ubi de ferendis rationibus agitur, ipso iure optime adiutum esse, non idem extat consensus sententiarum de hac re, immo adhuc valde discrepant inter se viri docti. Susceperunt enim Demosthenis causam alteri ac quidem plurimi veluti Dissenius,[1] Frankius,[2] Schaeferus, Westermannus,[3] Kirchhoffius,[4] et cum his Halmius, contra Aeschinem defendit Spengelius,[5] cui assentitur Weidnerus.[6])

Ego quum mihi id maxime proposuerim, ut ea, quae Halmius de hac re disseruit, accuratius percenseam, haud difficile spero fore, ut, quam debiles sint pleraeque huius rationes ostendam.

Sane res haud parva laborat difficultate, quoniam, ne certum fiat iudicium, obstat, quod ipsae leges, de quibus hic certatur, non servatae sunt, de fragmentis autem, quae afferunt, ipsi oratores scrupulos nobis iniciunt, quorum alter arguit alterum partes tantummodo legum citare easque insuper malitiose detorquere.[7] At, si quam accuratissime inspicimus rem, etiamsi non certum, tale tamen credo iudicium facere licebit, ut minimum a veritate absimus.

---

[1]) edit. p. 289 sq.

[2]) N. Jhrb. f. Philol. XXII, 379 sqq.

[3]) Introd. p. 5, et ad § 121, qui tamen diversam sententiam protulerat in Commentat. de praem. et honor. p. 53.

[4]) l. l. p. 63.

[5]) l. l. p. 59—61.

[6]) ad § 32. cf. Winiewski: l. l. p. 10 et Jacobs: l. l. p. 452 n. 23.

[7]) cf. Aesch. III, § 35 et 36, Dem. § 121.

Primum autem id respiciendum erit, quod bene monuit Spengelius.[1]) Per se enim verisimile non est, ut Aeschines, quoniam, quanta et sagacitate et subtilitate refellendi esset Demosthenes, non ignorabat, consulto leges falso interpretatus sit itaque ipse stulte effecerit, quo facilius adversarii se defendere possent, immo, nisi vere inde argumentari licuisset, ad legem de renuntiandis coronis omnino non provocaturus fuerit. Hoc enim fieri nequaquam opus fuit, quum, ut demonstraret Ctesiphontem contra legem rogasse, prorsus sufficerent argumenta ad euthynas pertinentia. His igitur consideratis si iam quodammodo eo adducimur, ut in hac omni re accusatori maiorem quam defensori fidem habeamus, videamus nunc, rectene hoc faciamus necne.

Docet Aeschines fuisse legem, de qua § 32 dicit haece: *ὁ νόμος διαρρήδην κελεύει· ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι, ἐὰν δ' ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ.* Non est cur dubitemus, quin haec ipsius legis verba fuerint. Quod tamen negat Halmius, qui p. 6. ann. dicit haec: „Die drei letzten Worte standen schwerlich im Gesetze selbst, sondern gehören dem Redner an; sie sind aber von keiner wesentlichen Bedeutung." At cur, quaeso, haec ultima verba in ipsa lege scripta fuisse non possunt? Contra inspicias velim § 34, ubi, postquam recitavit legem eique Ctesiphontis decretum opposuit: *Ἀκούετε*, inquit, *ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι ὁ νομοθέτης κελεύει ἐν τῷ δήμῳ ἐν Πυκνὶ ἀνακηρύττειν τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ κτλ.* ac deinde § 48, ubi quum legantur: *τὸ γὰρ „ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ" ὅτι ἐστιν, ὅλην τὴν ἡμέραν λέγε· οὐ γὰρ ἀποδείξεις ὡς ἔννομα γέγραφας*[2]), manifestum est haec verba non fuisse addita ab oratore. Porro, uti idem locus docet, etiam in eo errat vir doctissimus, quod autumat haec verba haud magni esse momenti. Nam in his ipsis quasi totius argumentationis cardo versatur, his

---

[1]) l. l. p. 60 sq.

[2]) cf. § 43: *τοῖς μὲν γὰρ ἀποδέδεικτο τόπος ἡ ἐκκλησία, ἐν ᾗ χρῆν στεφανοῦσθαι, καὶ ἀπείρητο ἄλλοθι μηδαμοῦ κηρύττεσθαι.*

ipsis nisus demonstrare vult Aeschines coronas sive a populo sive a senatu decretas in theatro renuntiare non licuisse.

Iam postquam paucis exposuit orator Ctesiphontis decretum huic legi repugnare (§ 34), perstringit argumenta, quae adversarios prolaturos esse exspectat. Dicit enim § 35: *οὗτον γὰρ ὡς μὲν οὐκ ἀπαγορεύουσιν οἱ νόμοι τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον μὴ κηρύττειν ἔξω τῆς ἐκκλησίας, οὐχ ἕξουσι λέγειν, οἴσουσι δ' εἰς τὴν ἀπολογίαν τὸν Διονυσιακὸν νόμον καὶ χρήσονται τοῦ νόμου μέρει τινὶ κλέπτοντες τὴν ἀκρόασιν ὑμῶν καὶ παρέξονται νόμον οὐδὲν προσήκοντα τῇδε τῇ γραφῇ καὶ λέξουσιν, ὡς εἰσὶ τῇ πόλει δύο νόμοι κείμενοι περὶ τῶν κηρυγμάτων, εἷς μέν, ὃν νῦν ἐγὼ παρέχομαι*[1] *διαρρήδην ἀπαγορεύων τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον μὴ κηρύττεσθαι ἔξω τῆς ἐκκλησίας, ἕτερον δ' εἶναι νόμον φήσουσιν ἐναντίον τούτῳ, τὸν δεδωκότα ἐξουσίαν ποιεῖσθαι τὴν ἀνάρρησιν τοῦ στεφάνου τραγῳδοῖς ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος· κατὰ δὴ τοῦτον τὸν νόμον φήσουσι γεγραφέναι τὸν Κτησιφῶντα.* Alteram igitur, ait, legem afferent et hac, quod illa non licet, sese defendent. Contra haec autem primum ostendit non veri esse simile, ut duae de eadem re leges extent, quae, quod adversarii velint, ita inter se pugnent, ut, quod altera vetet, liceat per alteram; nam ne quid tale fiat, mandatum esse thesmothetis, ut quotannis leges recognoscant. Si igitur essent duae de renuntiandis coronis perscriptae inter se contrariae, fieri non potuisse, quin hae a thesmothetis inventae publice ante eponymorum statuas proponerentur et a nomothetarum collegio ad hoc constituto alterutra tolleretur.[2]

Quibus explicatis statim vult probari nullam esse discrepantiam inter legem Dionysiacam atque eam, qua ipsius argumentatio nititur. Haec ratio ex verisimilitudine ducta per se satis apta nec inutilis videtur, quamquam non talis est, ut nullo modo reprehendi possit. Certe longius pro-

---

[1]) Pro praesenti tempore Weidnerus scribit futurum nulla addita nota eumque secutus est Halmius, qui tamen uncis inclusum apposuit (*παρέχομαι?*).

[2]) cf. § 38—40. cum ann. Weidneri.

gressus est Aeschines, quum ratiocinationem claudat hisce: *ὁπότε δὲ μηδὲν τούτων γεγένηται, φανερῶς δή που ἐξελέγχονται οὐ μόνον ψευδῆ λέγοντες, ἀλλὰ καὶ παντελῶς ἀδύνατα γενέσθαι* (§ 40). Potest enim obici, quod obiecit Weidnerus: „Si omnino fieri potuit, ut leges inter se contrariae abolendae aut mutandae viderentur, quidni eo ipso tempore quo Ctesiphon legem suam ferebat eiusmodi leges contrariae tamen valere poterant?"

Sed non contentus est hoc argumento ex legum recognitione sumpto, immo per complures §§ fusius ostendit nihil inter se discrepare leges, quia lex Dionysiaca ad coronas a populo decretas omnino non spectet. Priusquam autem de hac altera lege agamus, liceat pauca de eis praemittere, quae Halmius de priore illo argumento disseruit.

Putat enim hoc prorsus vanum ac debile esse propterea, quod negare non potuerit Aeschines, saepius ante et ipsius Demosthenis et aliorum coronas in theatro renuntiatas esse.[1] Haec mira ratio quid sibi velit, me nescire confiteor. Sane, quin iam priore tempore coronae in theatro datae sint, haud dubium est, quum Demosthenes § 120 dicat: *καὶ μὴν περὶ τοῦ γ' ἐν τῷ θεάτρῳ κηρύττεσθαι, τὸ μὲν μυριάκις μυρίους κεκηρῦχθαι παραλείπω καὶ τὸ πολλάκις αὐτὸς [ἐστεφανῶσθαι*[2]*] πρότερον.*

At negatne hoc Aeschines? Ne verbo quidem nec pot-

---

[1]) p. 7. Dieser Beweis der Unwahrscheinlichkeit fällt ganz in die Brüche, weil Aeschines nicht erweisen konnte, dass die Ausrufung von Kränzen im Theater nie vorgekommen sei; diese Thatsache liess sich nicht wegleugnen sqq.

[2]) Hoc verbum recte secludit Kirchhoffius (l. l. p. 98), cui assentitur Lipsius in Epilogo p. 120. Perturbat enim totius loci sensum, qui postulat, ut dixerit Dem. non se omnino saepe iam coronatum, sed hunc honorem in theatro renuntiatum esse. Deleto *ἐστεφανῶσθαι* hic non iam cum Voemelio (p. 115) de aliis coronis in locis aliis cogitandum est nec dicendum: „oratorem magis artificiose quam sincere sic locutum esse, ut vulgus mente *ἐν τῷ θεάτρῳ* teneret." — *Πολλάκις* quadam oratoria iactantia dictum esse quod video omnes consentiunt. Non autem bis, quae Voemelii, Westermanni (ad § 120 et 223), aliorum sententia est, sed semel tantum Demosthenem ante in theatro laudatum fuisse recte mihi demonstrasse videtur Halmius not. 5.

est intellegi, cur hoc fecerit. Primum enim fugere eum non potuit, quam facile, hoc si conaretur, ab adversariis reici posset; deinde autem, quod summum est, quidnam tali argumento effici potuit? Nam factumne iam antea esset necne, quod Ctesiphontis decretum fieri iussit, non agebatur, sed unum hoc, num legitimum esset, quod ille rogaverat. Qua ex re apparet, quam debilia quamque aliena a re sint ea, quae Demosthenes § 120 et 83 obicit. Neque enim inde, quod iam antea coronae honore in theatro affectus erat, efficitur per leges id licuisse, nec inde, quod antea Aeschines non vetuerat, ne coronaretur Demosthenes, colligi licebat ne tum quidem intercedere debuisse.

Ceterum etiam hoc commemorandum est, Demosthenem § 120 non dicere, quales fuerint istae coronae, quas tam crebras in theatro renuntiatas esse clamat, a populone an ab aliis decretae, quod summi erat momenti, quia omnis Aeschinis argumentatio eo spectat, ut eas coronas in theatro renuntiare non licere demonstret, quas ipse populus aut senatus decernebant. Sed etsi dubitare nolumus, quin Demosthenes de solis his cogitarit (quod quo libentius ei concedas movearis eo, quod corona, quam § 83 commemorat et ad quam sine dubio illud πολλάκις αὐτὸς πρότερον referendum est, a populo erat decreta), tamen nihil aliud efficiunt, quae profert, nisi, ut testentur legem de renuntiandis coronis haud raro neglectam esse, id quod etiam de aliis legibus apud Athenienses factum esse satis constat. At tamen extitisse etiamtunc hanc legem ne Demosthenes quidem negat, conceduntque eius defensores[1]; itaque, si quis volebat, ad eam provocare poterat. Ceterum quo melius eius ratio perspiciatur, recordari iuvabit, quae ipse Androteon. § 6 dicit: οὐχ ὅτι πολλάκις ἡμάρτηται δή που πρότερον, διὰ ταῦτ' ἐπεξαμαρτητέον ἐστὶ καὶ νῦν, ἀλλὰ

---

[1]) cf. Halm. p. 6 ex.: „Dies Gesetz nun bestand in des Demosthenes Zeiten noch in voller Kraft.“ Franke l. l. p. 379: „Das Gesetz, welches Aeschines § 132 anführt . . . bestand und wir glauben dem Redner, dass auch Dem. die Existenz dieses Gesetzes nicht leugnen konnte (§ 35), so wie dieser sie wirklich auch stillschweigend einräumt (§ 120).“

τοὐναντίον ἀρκτέον ὡς ὁ νόμος κελεύει, τὰ τοιαῦτα ποιεῖν ἀναγκάζειν ἀπὸ σοῦ πρώτον κτλ [1]).

Transeamus iam ad legem Dionysiacam illi alteri oppositam, qua in interpretanda utriusque oratoris argumentatio versatur.

Praemittit autem Aeschines, unde orta sit haec lex (§§ 41—43). Percrebuisse pravum morem, ut nonnulli, quo latius pervulgaretur gloria, in theatro praedicarent corona se donari sive a phyletis sive a demotis aut servum se manumisisse. Molestissimum autem fuisse, quod etiam, si quis ab alia urbe laudabatur, haec laus eodem modo in theatro renuntiari consuevisset. Hisce renuntiationibus non modo molestias allatas esse cum spectatoribus tum choragis et actoribus, sed etiam factum, ut populi senatusque coronas, quoniam non coram Graecis, sed senatu solum populoque referrentur, non tanti aestimarentur, quanti illorum laudes in theatro pronuntiatae. Quare latam esse legem Dionysiacam, quam affert hisce § 44: *διαρρήδην ἀπαγορεύει μήτ᾽ οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ᾽ ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μηδ᾽ ὑπ᾽ ἄλλου, φησί, μηδενός, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα.* Haec verba quin ex ipsa lege sumpta sint gravissimamque eius sententiam contineant, haud dubium est. Commentatur autem de his Halmius p. 10 sic: „Es handelt sich also in dem sogenannten dionysischen Gesetz, das vorlesen zu lassen Aeschines sich weislich hütete, wie mit vielen andern Gesetzen er es auch bei den zwei ersten Punkten gethan hat, um eine Verordnung, die dem Herold Ausrufungen im Theater in den genannten zwei Fällen verbot.“ [2]) Ex his quae sit eius interpretandi ratio, optime intellegas.

Primum nescio, quo iure contendat cavisse Aeschinem, ne ipsam legem recitaret. Quod ut faceret, fortasse commotus est vir doctissimus verbis Demosthenicis § 120 *νόμους*

---

[1]) cf. Weidner. ad § 36.

[2]) cf. ibid. paulo post: Da es aber keine allgemeine Fassung hatte, sondern nur eine Bestimmung für Kränze gab, die früher Demoten und Phyleten ausrufen liessen etc.

μεταποιῶν τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι, quae tamen ita percipi non possunt. Contra legem ipsam attulisse oratorem recte iam dixit Winiewskius [1]). Exeunte enim § 47 leguntur haec: *ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω τῶν νόμων αὐτῶν ἀκούσατε. Νόμοι.* Harum autem legum unam fuisse Dionysiacam, quod iam ex eis colligi potest, quae andecedunt, luce clarius patet, quum pergat orator § 48: *Ἐπειδὰν τοίνυν ἐξαπατῶντες ὑμᾶς λέγουσιν, ὡς προσγέγραπται ἐν τῷ νόμῳ ἐξεῖναι στεφανοῦν, ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος, ἀπομνημονεύετ' κτλ.* Itaque neutiquam mihi videtur peccasse, quod Halmius ei crimini dat.

Deinde autem iure quivis offendat in eis, quae de sensu legis dicit, quam non satis late patentem facit. Mire enim verba *μηδ' ὑπ' ἄλλου, φησὶ, μηδενὸς* hic prorsus neglexit. Ex his autem ipsis patet legem non modo ne duo illa coronarum genera, sed potius ne omnino coronae in theatro renuntiarentur, vetuisse, qua de re his ipsis ab oratore summum momentum tribuitur, quod vel illud *φησὶ* insertum docet. In bis verbis recte intellegendis et interpretandis tota quae sequitur argumentatio est posita, quae simplicissima mihi ac satis perspicua videtur esse. Demosthenes enim quum ad hanc legem provocet, interpretatur sic, ut haec verba ad senatus populique coronas referat.[2]) Contra Aeschines assumpta priore illa lege ostendit ista verba referenda non esse, nisi ad eas coronas, quibus ab aliis civitatibus Athenienses honestari solebant. Senatus ènim populique coronae quum illa, tribulium autem et popularium coronae quum hac lege nominatim exceptae sint, solas exteras coronas restare. § 45: *ὅταν οὖν ἀποδείξῃ* (sc. *ὁ νομοθέτης*) *τοῖς μὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς στεφανουμένοις εἰς τὸ βουλευτήριον ἀναρρηθῆναι, τοῖς δ' ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανουμένοις εἰς τὴν ἐκκλησίαν, τοῖς δ' ὑπὸ τῶν δημοτῶν στεφανουμένοις καὶ φυλετῶν ἀπείπῃ μὴ κηρύττεσθαι τοῖς τραγῳδοῖς, ἵνα μηδεὶς ἐρανίζων στεφάνους καὶ κηρύγματα ψευδῆ φιλοτιμίαν κτᾶται, προσαπείπῃ*

---

[1]) l. l. p. 355. cf. Frank. l. l. p. 382.

[2]) cf. Frank. l. l. p. 381: „Die Worte *μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς* beziehen wir mit Dissen auf Senat, Volk und auswärtige Staaten.“

δ' ἐν τῷ νόμῳ μηδ' ὑπὸ ἄλλου μηδενὸς ἀνακηρύττεσθαι [ἀπούσης βουλῆς καὶ δήμου καὶ φυλετῶν καὶ δημοτῶν[1])] — ὅταν δέ τις ταῦτα ἀφέλῃ, τί τὸ καταλειπόμενόν ἐστι πλὴν οἱ ξενικοὶ στέφανοι; Sane, facile obiciat quispiam non plane veram esse hanc interpretationem verborum, quae cur non aliquanto latius patuerint, quam vult orator mihi haud perspiciuum esse confiteor. Nam praeter peregrinorum honores, de quibus solis hic cogitandum esse contendit, certe etiam alii erant a minoribus reipublicae partibus decreti, ad quos legis verba non minus pertinuisse manifestum est. Quod tamen ad rem ipsam nihil fere valet, quia exterae coronae sine dubio crebriores erant, nec aliud quidquam laborat Aeschines, nisi ut refutet, legem Dionysiacam spectare ad populi coronas.

Iam quum semel demonstrasse sibi videatur verba μηδ' ὑπ ἄλλου μηδενὸς intellegi non posse nisi de exteris coronis, haec § 47 plane interpretatur sic: μηδὲ[2]) κηρύττεσθαι τὸν ἀλλότριον στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ. Priusquam autem ea, quae porro profert orator, persequamur, videamus, quale sit Halmii de his omnibus iudicium.

Censet enim sophisticam esse totam hanc argumentationem, sensum legis depravatum, quae quum exteras coronas nominatim non enumeret, ad has omnino nihil spectarit[3]). Immo callide immiscuisse Aeschinem τοὺς ξενικοὺς στεφάνους, quibus ad decipiendos auditores carere non potuerit. Ergo partem legis, in qua orator omnem suam argumenta-

---

[1]) Haec verba recte iam dell. Taylorus et Hamakerus; ἀνακηρύττεσθαι autem, quod Hamakerus simul eiecit, retineri posse puto. Deinde huic assentiri non possum dicenti: „Verba τοῖς τραγῳδοῖς insiticia sunt; neque enim in theatro coronam a popularibus vel tribulibus datam renuntiari licebat, nec alius locus dabatur: lex igitur rem plane prohibebat et verba τοῖς τραγῳδοῖς expungenda sunt." Immo lex de sola renuntiatione in theatro lata erat, et ne hanc quidem prorsus prohibebat (vide quae infra p. 52 sq. de exceptione legis disputabimus!). Cur autem tribulium et popularium coronae alio loco renuntiari non potuerint, nescio. cf. C. J. Gr. I, n. 101 (vide Schaefer. III, p. 213. n. 1.).

[2]) sic pro codd. μήτε vel μή scripserim cum Weidnero.

[3]) cf. p. 9: In dem Gesetze selbst . . . war von ihnen keine Rede.

tionem posuit, prorsus neglegere et quod hic inde demonstrat et acutissime quidem demonstrat, negare [1]) non dubitat impudentiae insuper eum coarguens. Sed audiamus ipsum. Dicit enim p. 9, n. 6: „Mit diesen ξενικοὶ στέφανοι führt Aeschines ein Kunststück nach dem andern auf. Weil er das zur Täuschung eingeschobene Beispiel einmal gebraucht hat, so ist er so unverschämt § 44 so fortzufahren: συνιδὼν δή τις ταῦτα νομοθέτης τίθησι νόμον . . . περὶ τῶν ἄνευ ψηφίσματος ὑμετέρου στεφανουμένων ὑπὸ τῶν δημοτῶν καὶ τῶν φυλετῶν καὶ περὶ τῶν τοὺς οἰκέτας ἀπελευθερούντων καὶ περὶ τῶν ξενικῶν στεφάνων. Darauf folgen unmittelbar die Worte des Gesetzes welche das Einschiebsel καὶ περὶ τῶν ξενικῶν στεφάνων Lügen strafen." Sed quomodo lege Aeschines mendacii convincatur, non video. Quod quidem si revera sentit vir doctissimus, aut probandum puto fuisse verba μηδ᾽ ὑπ᾽ ἄλλου μηδενὸς in lege omnino non extitisse, sed ab oratore insidiose addita esse, aut quam hic habet interpretationem verborum corrigendam et quonam haec sint referenda paulo accuratius exponendum, neque vero agnosci quidem haec verba et cum ceteris exscribi, deinde autem in interpretanda lege plane dissimulari debuerunt. Et quamobrem negat vir doctissimus legem Dionysiacam etiam ad exteras coronas spectasse? Propterea, quod, ubi hae renuntiarentur, nec in curia, nec in foro, immo solo in theatro locus extiterit, et quod Aeschines ipse sit testis ibi coronas et quae singulis civibus et quae universo populo ab aliis civitatibus dabantur, referri solitas esse. [2]) Hoc sane est concedendum, sed, quod infra videbimus, ubi de exceptione legis agendum erit, non obstat, quominus cum Aeschine interpretemur.

---

[1]) cf. p. 12: Dass das dionysische Gesetz auf die ξενικοὶ στέφανοι überhaupt gar keine Anwendung hatte, bedarf kaum eines besonderen Beweises.

[2]) citat §§ 42, 43, 46, 47 et 230, quae tamen ne aptae quidem satis sunt ad eius sententiam comprobandam, quoniam ea, quae his enarrantur, ante legem Dionysiacam facta sunt, et hac ipsa vult Aeschines peregrinorum honoribus modum impositum esse.

Porro augurátur maxime ea de causa, quod iam diu peregrinorum honores in theatro renuntiari consuevissent, etiam alia quaedem ibidem pronuntiari coepta esse. Sed etiamsi hoc veri est simillimum, tamen nescio, quomodo inde pateat legem Dionysiacam ad illos nihil pertinuisse, quod non solum prorsus repugnat eis, quae dilucide orator disseruit, sed etiam per se parum credibile videtur, quia haud facile est intellectu, qua re, quum aliae omnes lege coërcerentur, solae hae coronae eaeque molestissimae exceptae sint. Immo ex ipso eo, quod Aeschines (cui hac in re omnem fidem haberi posse dicit Frankius)[1]) docet exteras coronas summam habuisse offensam,[2]) concludi potest, has potissimum legis ferendae causam praebuisse. Sed utut hoc est, certe, si verba legis cautius inspicimus nec aequo suspiciosius ac contemptius de eis iudicamus, quae orator exponit, dubitari non debet, quin lex Dionysiaca etiam *τοὺς ξενικοὺς στεφάνους* comprehenderit.

Ceterum mire erravit Frankius, qui contendit Aeschinis argumentationem eo spectasse, ut demonstraret totam legem ad solas exteras coronas pertinuisse, quod nec voluit, nec potuit, quoniam ipsa legis verba, quae quidem ab eo referuntur[3]) obstant. — Deinde quod Halmius loco, quem supra laudavimus, pergat: „In consequenter Täuschung heisst es am Ende der Beweisführung § 47: *καὶ διὰ τοῦτο προσέθηκεν ὁ νομοθέτης, μηδὲ κηρύττεσθαι τὸν ἀλλότριον στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ κτλ.*“, vidimus iam supra hanc legis verborum interpretationem etsi non satis late patere, tamen non falsam esse.

Sed quem ad finem, quaeras, Aeschines tam copiose de his exteris coronis disserit? Nempe, ut ostendet non licere adversariis legem Dionysiacam in defensione uti. At quomodo hoc omnino potuerunt facere, qui id conseque-

---

[1]) l. l. p. 379.

[2]) cf. § 42: *ὃ δ' ἦν ἐπιφθονώτατον κτλ.*

[3]) § 44: *διαρρήδην ἀπαγορεύει μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μηδ' ὑπ' ἄλλου, φησί, μηδενὸς, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα.*

bantur, quod lex prohibebat? Nam vetabat lex coronam in theatro dari. Sane, sed addita erat post verba μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς exceptio quaedam, ad quam confugiunt. Haec autem, quum non iisdem verbis apud utrumque oratorem extet, haud parvam praebet difficultatem; quaeritur enim, utrinam lectioni maiorem fidem tribuamus. Est autem Aeschinea haec: ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος, contra Demosthenica: πλὴν ἐάν τινας (sc. ἀναγορεύεσθαι ἐν τῷ θεάτρῳ) ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται. Iam viri docti fere omnes, veluti Dissenius, Schaeferus, Westermannus, non dubitant, uti alibi, sic etiam hic plus confidere Demostheni, quam eius adversario ea nimirum constantia victi, qua ille statim post legem ipsam recitatam exceptionem repetit dicens § 21: Ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς πλὴν ἐάν τινας κτλ. criminans simul, quod depravarit leges et mutilarit. Et profecto, quum orator ita loquatur, fieri vix poterit, quin hanc veram fuisse exceptionis formam censeamus. At tamen haec Demosthenica lectio Spengelio [1]) aliquid offensionis habere videtur cum propter additum ἢ ἡ βουλή tum propter τινάς, et in hoc pronomine magis etiam offendet Weidnerus,[2]) qui hoc tam obscurum esse vult, ut pro documento habeat „Demosthenem diversa unius legis praescripta confudisse, ut adversarii rationem everteret.“ Cui sententiae accedere non possum; immo haec ipsa verba nescio quam veri speciem prae se ferre crediderim. Contra, quod recte deinde notat Weidnerus, bene observandum est, quam breviter et tamquam raptim Demosthenes totam rem absolverit, qui ne verbo quidem nec alteram illam legem ab adversario adhibitam et luculenter tractatam, nec peregrinorum honores, de quibus ille tam verbose locutus erat, attingit, et convicia magis quam rationes cumulat. Haec praeceps festinatio certe mira est et ad convellendam magis quam ad affirmandam oratoris fidem apta.[3]) Contra Aeschines copiose subtiliterque de tota lege disputat. Accedit quod per se vix verisimile

---

[1]) l. l. p. 60 n. 2.
[2]) ad § 36.
[3]) cf. Spengel. l. l.

videtur, ut eam ipsam partem legis ex arbitrio decurtaverit, qua adversarios usuros esse sciebat. Quod autem summum est, exceptionem non semel sed ter eadem forma affert sc. § 36, 47, 48, Quibus omnibus apparet lectionem Aeschineam eandem fere veritatem habere, quam Demosthenicam, nec facile esse dictu, utri sit magis confidendum. Certe autem probari nequit, quod fecit Halmius, qui vult ipsum Aeschinem testem habere exceptionis verba alia fuisse non posse, nisi quae apud Demosthenem leguntur; loci autem unde hoc cogit, sunt iidem tres, quos supra notavimus, quibusque nihil aliud legitur nisi: *ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος*.

Multo magis autem mirari licet, quod vir doctissimus, quamquam hos locos diserte commemorat, accusat Aeschinem, quod exceptionem plane reticuerit.[1]) Sane § 44, ubi legem affert, eam non addidit. Quod non temere ac fortuito, sed certa de causa factum esse recte dicit Frankius, qui tamen non veram causam indagasse mihi videtur. Interrumpsit enim nisi fallor hic quasi legem relatam, ut priusquam addat exceptionem, explicet illud *μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός*, quod hercle summi erat momenti, quia oportebat ostendere haec verba non esse intellegenda de populi senatusque coronis itaque legem Dionysiacam ad illas omnino non spectare. Praemissis his tum demum, quum, quid sibi velit, melius perspici possit, affert exceptionem, quam praeterea iam brevi ante § 36 commemoratam esse vidimus. Iam etsi, num ad verbum citarit clausulam, dubitari licet, tamen hanc plane suppressam esse dici non debuit. Cassum igitur et iniustum est hoc Halmii crimen.

---

[1]) p. 10: Wie sich die Gegenpartei auf ein solches Gesetz für ihre Zwecke berufen konnte, begreift man nach dem Wortlaut des Gesetzes, in wie weit es Aeschines anführt, nicht im mindesten; erst aus seiner weiteren Schlussfolgerung lässt sich ahnen, dass es eine von ihm unterdrückte Exceptio enthielt, die wir aus Demosthenes erfahren sqq. et deinde: Dass diese schlau verschwiegene Exceptio etc. Nihilo secius paulo post p. 12 dicit Aeschinem quadam sophistica ratione efficere: Dass bei der Exceptio nur an auswärtige Kränze zu denken sei. Quomodo tale quid facere potuit, si exceptionem reticuisset?

Sed redeamus, unde aberravimus. Quaeritur enim, qui fuerit exceptionis sensus? Apparet Demosthenem, quum ad eam confugeret, interpretatum esse, quasi pronomen τινάς, quod habet, in universum dictum esset, ita ut etiam de eis cogitandum esset, qui a populo coronarentur. Eandemque video esse sententiam Frankii[1]) aliorumque, in quibus etiam Halmius est. Confiteor autem primum me non satis intellexisse ea, quae hic disseruit. Censet enim p. 10 extr. veri esse simillimum, quoniam tota lex de solis phyletarum et demotarum coronis lata esset, etiam exceptionem maxime ad solas has aliasque huiusce generis societates spectasse; at tamen pergit p. 11. sic: „Aber selbst diese enge Beschränkung angenommen, so lautete die Exception doch so allgemein (πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται), dass sich ein Vertheidiger in einem Processe, wie der des Ktesiphon war, füglich auf sie berufen konnte.“ Nonne his ipse tacite concedit Demosthenem etsi quadam spe, tamen non iure ad hanc exceptionem confugisse? Nonne etiam secum quodammodo pugnat, quum neget ante legem latius patuisse, hic pergat: „zumal ja das von Aeschines so stark betonte μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός dem specifischen Gesetz einen allgemeinen Anstrich gab.“ Habebat quidem lex propter hoc additamentum generalem quandam speciem, at tamen illa altera certi fines constituti erant, et quum ipse vir doctissimus concedat legem nostram ad populi senatusque coronas non pertinuisse, immo phyletarum modo ac demotarum similiumque societatum coërcuisse, quomodo credibile fiat, exceptionem huic additam spectasse ad illas? —

Gravius videtur esse argumentum, quod praeterea Westermannum secutus ad probandam suam sententiam affert, per se videlicet veri simile non esse, ut populus semet ipsum prorsus privarit iure coronae, si quam daret, certa de causa vel Dionysiis in theatro praedicandae. Idem censet Frankius et hinc explicandum esse arbitratur, cur Aeschines § 44

---

[1]) cf. Dissen. l. l. p. 291: „legis formula hunc sensum habuisse videtur: senatum posse coronas a se decretas certa de causa permittere, ut in theatro renuntiarentur, populum a se decretas vel ab aliis.“*

legem recitans non statim exceptionem addiderit, sed exposuerit ante, quomodo intellegenda essent verba μηδ᾽ ὑπ᾽ ἄλλου μηδενός. Quod ni fecisset, auditoribus commonefactis phyletarum et demotarum coronas licere in theatro referre concedente populo persuaderi non potuisse ipsum populum non habuisse eandem potestatem, quam aliis poterat dare. Contra haec autem, velim inspicias ea, quae recte annotaverunt Spengelius (l. l.) et Weidnerus (ad § 44). Nam vetustiore lege populus se obstrinxerat, ut quos ipse honestare vellet, nusquam nisi in contione renuntiaret. Haec autem quin etiamtunc valuerit, nemo dubitat. Sensus igitur exceptionis non talis fuisse potest, ut senatus et populus quemlibet in theatro coronare posset, quod si valuisset, mira fuisset discrepantia inter legem Dionysiacam et alteram. Ad quam difficultatem solvendam nil efficitur eis, quae Frankius p. 381 de lege Dionysiaca dicit: „Daher können wir in diesem Gesetze nur eine Erweiterung oder, wenn man will, theilweise Aufhebung des älteren Gesetzes sehen, bei der dieses immer fortbestehen konnte", nam nec amplificatio vetustioris legis haec esset, nec partis abolitio, sed totius legis. Praeterea, quod commemorat Spengelius, ne ambiguitas quidem neglegenda est, qua lex tum laborasset, quamque legislator certe vitasset.

Quae quum ita sint, pronomen τινάς non intellegamus necesse est, nisi de eis, quos ipsa lex ante enumeravit. In his autem, quum a populo et a senatu laudatos non fuisse et demonstret Aeschines, et non modo non neget, sed cum vi affirmet Halmius [1]), patet exceptionem ad hos ne minimum quidem pertinuisse.

Iam revertendum est ad Aeschinem, ut videamus, quomodo hic exceptionem interpretatus sit. Quem si inspicimus, fieri nequit, quin concedamus ne hunc quidem satis congruenter veritati egisse. Nam quum ille peccet eo, quod istam nimis late patentem facit, huius interpretatio vitio

---

[1]) cf. Schaefer. III, p. 214. nota: Der Kränze, welche Rath und Bürgerschaft ertheilten, war, wie sich aus Aeschines 44—48 klärlich ergiebt, in diesem Gesetze mit keinem Worte gedacht.

laborat plane contrario. Refert enim exceptionem non ad omnes, quos lex commemorat, sed ad solos peregrinorum honores [1]. Est autem eius ratio haec.

Provocat ad aliam legem, quae iussit, si quis in theatro laudaretur, coronam Minervae dedicari et in templo eius servari. § 46: *αὐτὸν γὰρ τὸν χρυσοῦν στέφανον, ὃς ἂν ἐν τῷ θεάτρῳ τῷ ἐν ἄστει ἀναρρηθῇ, ἱερὸν εἶναι τῆς Ἀθηνᾶς κελεύει ὁ νόμος ἀφελόμενος τὸν στεφανούμενον.* Unde vult sequi praeter *ξενικοὺς στεφάνους* alios in theatro renuntiare omnino non licere; hanc enim legem de solis his intellegi posse, quoniam credibile non sit eundem, qui dederit coronam et renuntiarit, eam statim eripere et dedicare. *Καίτοι*, inquit, *τίς ἂν ὑμῶν τολμήσειε τοσαύτην ἀνελευθερίαν καταγνῶναι τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων; μὴ γὰρ ὅτι πόλις, ἀλλ' οὐδ' ἂν ἰδιώτης οὐδὲ εἷς οὕτως ἀγεννὴς γένοιτο, ὥστε ὃν αὐτὸς ἔδωκε στέφανον ἅμα ἀνακηρύττειν καὶ ἀφαιρεῖσθαι καὶ καθιεροῦν.* Huic argumento iure non multum confisus est Dissenius (p. 291). Nam etsi fuit talis lex, nec est, cur hoc dubitemus (cf. Dissen. l. l. et Frankium l. l. p. 381), tamen intellegi nequit, quo iure Aeschines rem ad solos *ξενικοὺς στεφάνους* revocarit, quod facit eis, quae l. l. addidit: *ἀλλ', οἶμαι, διὰ τὸ ξενικὸν εἶναι τὸν στέφανον καὶ ἡ καθιέρωσις γίγνεται, ἵνα μηδεὶς ἀλλοτρίαν εὔνοιαν περὶ πλείονος ποιούμενος τῆς πατρίδος χείρων γένηται τὴν ψυχήν.* Quid autem absoni vel absurdi habet putare etiam phyletarum et demotarum coronas in theatro datas in templo Minervae servatas esse? Quod ne illi quidem opinioni oratoris repugnare videtur, nam hae coronae, si deae consecrandae erant, non ab iisdem, qui tribuerant, etiam eripiebantur, quoniam non ab ipso populo sed a partibus tantum eius dabantur.

---

[1] cf. Spengel. l. l.: Die *ξενικοὶ στέφανοι* sind, wenn auch nicht ausschliesslich, doch gewiss zumeist und zunächst gemeint. Weidner. ad § 44: „Eis qui aut a peregrinis aut a tribulibus laudarentur, populus hunc honorem poterat concedere ut publice eorum laudas in theatro praedicarentur. Atque huc pertinere videtur illa quam Demosthenes attulit exceptio.“ Qui tamen nescio an secum ipse pugnet eis, quae paulo post ad § 45 annotat.

Debilis igitur est haec quam fecit conclusio, neque debilis modo, sed mira etiam, quippequa nequaquam ei opus fuisse appareat. Quid enim sibi proposuerat orator? Nihil aliud, nisi demonstrare legem Dionysiacam οὐδὲν ἐπικοινωνοῦν τῷ περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανουμένων νόμῳ (§ 44) itaque ad causam ne minimum quidem valere. Quorsum igitur, si res ita se habet, exceptionem, quam de populi coronis intellegi non posse satis fuit demonstrasse, ad solas exteras coronas transfert?

Quod ut defendam vel excusem, multum abest. At tamen haud difficile arbitror explicare, qua re moveri potuerit, ut demotarum et phyletarum coronas inde a § 46 tam alto silentio praeteriret. Hae enim ad rem nihil attinebant; praeterea forsitan secum constituerit orator omissis eis, quae lex ipsa satis certa praebebat, eam solam eius partem accuratius tractare, quam ne inde adversarii argumentarentur, omnium maxime interpretari opus erat, sc. verba μηδ' ἐπ' ἄλλου μηδενός. Accedit, quod reapse fieri vix potuit, quin ex eis coronis, de quibus lata erat lex, exemplum unam depromeret eam, quae summam habebat offensam, et quod praetera coronae ab aliis urbibus decretae optime opponi poterant eis, quae a populo Atheniensi dabantur. Nihilo minus concedendum est Aeschinem contendisse, quod nec contendi oportuit nec potuit demonstrari, quum ita interpretaretur legis formulam, ut de solis peregrinorum coronis intellegenda esset.

At hac falsa exceptionis interpretatio non est talis, qua tota oratoris argumentatio labefactetur, immo ad rem ipsam vix ullius momenti videtur esse. Nam id quod summum erat, sc. coronarum a populo aut senatu decretarum renuntiationes in theatro fieri non licere, adeo demonstrasse mihi videtur, ut mirer hoc tot doctissimos viros infitiari et ipsum Schaeferum dicere: „dass auch diese vom Theater ferngehalten und dieser Ehrenplatz (§ 43) allein den auswärtigen Kränzen vorbehalten sein soll, ist eine Subsumption, die Aeschines dadurch herausbringt, dass er jenes andere Gesetz mit diesem

combinirt."[1]) Ceterum vereor, ne Schaeferus et qui eum citat Halmius § 45, quam supra p. 48 ascripsimus, quodammodo falso perceperit. Nam hic quum orator legem vetustiorem cum posteriore comparet, non iam id agit, ut praeter ξενικοὺς alios στεφάνους in theatro referri non licere ostendat, immo, uti vidimus supra, nihil aliud vult, nisi explicare, quomodo intellegenda sint verba legis μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός. Huc igitur spectant, quae dicit: τί τὸ καταλειπόμενόν ἐστι πλὴν οἱ ξενικοὶ στέφανοι[2]); Peccatum autem quo liberari nequit, non in ipsa legum compositione, sed in solo eo est, quod formulam ad solam eam legis partem, quam interpretatus est, revocavit idque argumento nisus, quod parum auctoritatis habebat ad persuadendum. Itaque ratiocinatio, quam § 45 adhibuit, non falsa est, sed verissima ac satis perspicua.

Sed restat aliud, quod paucis refutandum esse existimo. Negat enim Halmius not. 10 Aeschinem omnino debuisse priorem illam legem afferre, quippequam plane alienam esse a Dionysiaca ipse §§ 44 et 36 adversariis obiciat. Profecto, collatae leges nullo modo inter se cohaerebant; hoc autem ipsum quum demonstrare velit, oratori minime illud exprobrari debuit, praesertim quum apud Demosthenem talis criminis vestigium non deprehendas, qui mutilasse quidem et immutasse adversarium leges dicit, non obiurgat eum, quod attulerit legem a causa prorsus alienam, quod si omnino facere potuisset, certe non omisisset. Contra optimo iure hoc reo crimini datur ab Aeschine § 36. Quam ob rem autem non debuerit hic diversas leges conferre, ut altera assumpta interpretaretur alteram subtiliterque computaret, coronas, de quibus lex prior praescriberet, posteriore lege comprehendi non posse, non intellego.

Minus etiam, quam haec, valent ea, quae profert Frankius l. l. p, 381. Offendit enim in eo, quod leges compositae nec eodem tempore latae sint, nec eundem habeant

---

[1]) l. l. III, p. 214 in ann. cf. p. 213. Halm. p. 11 sqq.
[2]) Praeter necessitatem igitur offendit in his verbis Halm. not. 9.

auctorem; quod si esset, Aeschinem nullo modo reprehendi posse, at quum hic ipse legem Dionysiacam post alteram demum latam clare significet, eius argumentationem prorsus collabi. Haec mira sententia nescio, quomodo confirmari possit. Nam quid tandem efficitur eo, quod lex altera priore tempore ab alio facta est, atque Dionysiaca? Nihil, credo; immo vero hoc solum quaeritur, num etiamtunc valuerit haec lex, quod nec Frankius, nec Halmius nec alius quispiam negat. Nimirum, quod iam supra commemoravimus, constat huic legi saepius fraudem esse factam. Forsitan etiam suspiceris eam adeo sensim in desuetudinem abiisse, ut tota res quadam obscuritate involuta esset, unde etiam magis perspici posset tam prolixa et accurata Aeschines de omni hac re disputatio, qui, nisi leges quodammodo in oblivionem venissent, vix tantam eis interpretandis operam dedisset. Verumtamen ne quis ad eas provocaret, priusquam vere abolitae erant, nil obstabat. Itaque legum compositio nil offensionis habet, et quum ipse Frankius concedat videri Aeschinem mathematicorum ratione ac subtilitate demonstrasse non est, cur dubitemus, quin argumentatio vere sit acutissima. —

Haec omnia si recte disputavimus, elucet, quam falsa sint, quae Halmius dicit p. 14: „Weil nun dem Aeschines bei dem Facit seiner falschen Rechnung keine andern Kränze als die ξενικοί übrig geblieben waren, so will er seinen eignen Landsleuten weissmachen, dass es zu deren Verkündigung im Theater immer einer besonderen Genehmigung des Volkes bedurft habe, die also auch dann wäre nöthig gewesen, wenn das Volk selbst von einem auswärtigen Staate einen Ehrenkranz erhalten sollte.“ Nam profecto, quum legem Dionysiacam etiam exteras coronas amplexam esse satis superque demonstret orator, earum renuntiationes ex lege quidem in theatro fieri certe non poterant, nisi petita ante et impetrata venia a populo [1]). Hoc autem, etiamsi revera,

[1]) Illustratur et comprobatur nisi fallor res eis, quae § 249 legimus: ὅταν οὖν λάβητε ῥήτορα ξενικῶν στεφάνων καὶ κηρυγμάτων ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐπιθυμοῦντα, ἐπανάγειν αὐτὸν κελεύετε τὸν λόγον, ὥσπερ καὶ

quae est Halmii opinio, praeter theatrum alius locus non extabat, ubi hae coronae referri possent, neutiquam mirum mihi videtur esse. Immo, si quidem recte Aeschinem de origine et condicione legis vere disputasse non diffidendum esse supra censuimus, nec veri est simile nec omnino credibile rem aliter se habuisse. Quare enim solis eis, qui ab aliis urbibus aurea corona honestabantur, sine ulla exceptione concessum fuerit, hunc honorem, ne virtute quidem semper, et veris meritis, sed malis artibus, praestigiis, blanditiis haud raro, uti videtur, emendicatum coram Graecis omnibus in theatro praedicare, non video, nec vanus, puto auctor est Aeschines, quum, quo consilio legis lator tales renuntiationes voluntate populi astrinxerit, explicans § 47: ἵν' ἡ πόλις, ait, ἡ βουλομένη τινὰ τῶν ὑμετέρων στεφανοῦν

τὰς βεβαιώσεις τῶν κτημάτων ὁ νόμος κελεύει ποιεῖσθαι, εἰς βίον ἀξιόχρεων καὶ τρόπον σώφρονα. ὅτῳ δὲ ταῦτα μὴ μαρτυρεῖται, μὴ βεβαιοῦτε αὐτῷ τοὺς ἐπαίνους, καὶ τῆς δημοκρατίας ἐπιμελήθητε ἤδη διαφευγούσης ὑμᾶς. Expungit autem illud ζενικῶν ante στεφάνων Halmius (p. 13. in ann.) Benselerum secutus, qui annotat: „Da die Worte offenbar auf Dem. gehen, dieser aber nicht von aussen her, sondern von Athen aus im Theater vor den versammelten Hellenen bekränzt werden sollte, so halte ich das für eine Glosse, zu der vielleicht das nicht verstandene ἐν τοῖς Ἕλλησιν Veranlasssung gab." Cui astipulari idcirco non possum, quod primum coniectura quam profert ad explicandam glossae originem mihi nequaquam sufficere videtur; deinde autem si cum viro doctissimo faceremus, ipse Aeschines mirum in modum secum pugnaret, qui quod in libello negaverat quodque in ipsa oratione ante argumentatione plena et perfecta magnoque legum apparatu instructa refutaverat, sc. coronam a populo decretam in theatro renuntiari licere, hic tacite concederet! Nam expuncto ξενικῶν de alia corona, nisi quam Dem. a populo petebat, cogitari non posse elucet. Quare hoc eicienti longius progrediendum et cum Weidnero etiam verba ἐν τοῖς Ἕλλησιν delenda esse arbitror. At ne cum hoc quidem viro praeclaro consentire possum. Non enim facile est intellectu, quo errore orta ista verba in textum venerint. cf. Praef. XXXI. Praeterea nescio an etiam tum orator sibi parum constaret; quum enim paulo anto §§ 241—43 id moliatur, ut quominus Demostheni omnino dicendi venia fiat, impediat, hic plane contrarium postularet: ἐπανάγειν αὐτὸν κελεύετε τὸν λόγον κτλ. Quibus omnibus commotus librorum lectionem retinendam esse censeo.

πρέσβεις πέμψασα δεηθῇ τοῦ δήμου, ἵνα κηρυττόμενος μείζω χάριν εἰδῇ τῶν στεφανούντων ὑμῖν, ὅτι κηρῦξαι ἐπετρέψατε. Deinde de altera difficultate, in qua Halmius haesit, vix quidquam dicendum esse existimo. Nam universum populum ab aliis corona donatum semet ipsum rogare, ut publicandi in theatro veniam daret, non opus fuisse in promptu est. Is certe non fuit legis sensus. Mirum enim et ridiculum videtur censere populum Atheniensem, qua semper gloriae cupiditate flagravit, postulasse unquam aut sanxisse legem, qua, quibus ipse afficeretur, honores coërcerentur.

His igitur omnibus apparet nec mera mendacia cumulasse Aeschinem, quod vult Frankius, nec tam vanam fallacemque esse eius de lege Dionysiaca disputationem, quam existimat Halmius, immo totam huius argumentationem uno excepto eo, quod, quo exceptio spectarit, non satis recte vidit exposuitque, ex ipsis legibus ductam quam maximam potest veritatis speciem prae se ferre. Quod optime confirmatur, si ea inspicimus, quae contra Aeschinis argumenta Demosthenes profert.

Omnia enim, quae respondet, duabus paragraphis continentur. Ac primum quidem dicit § 121: καὶ μὴν περὶ τοῦ γ' ἐν τῷ θεάτρῳ κηρύττεσθαι, τὰ μὲν μυριάκις μυρίους κεκηρῦχθαι παραλείπω καὶ τὸ πολλάκις αὐτὸς πρότερον. Hoc quam vanum quamque sophisticum sit argumentum, supra vidimus. Nam ut rhetoricam superlationem, qua usus est, omittamus, contendit, quod Aeschines minime negaverat, contra quod necessario demonstrandum erat, si omnino ad priores coronas provocare voluit, has videlicet legitimas fuisse prorsus defugit.

Deinde pergit: Ἀλλὰ πρὸς θεῶν, οὕτω σκαιὸς εἶ καὶ ἀναίσθητος, Αἰσχίνη, ὥστ' οὐ δύνασαι λογίσασθαι ὅτι τῷ μὲν στεφανουμένῳ τὸν αὐτὸν ἔχει ζῆλον ὁ στέφανος, ὅπου ἂν ἀναρρηθῇ, τοῦ δὲ τῶν στεφανούντων ἕνεκα συμφέροντος ἐν τῷ θεάτρῳ γίγνεται τὸ κήρυγμα; οἱ γὰρ ἀκούσαντες ἅπαντες εἰς τὸ ποιεῖν εὖ τὴν πόλιν προτρέπονται, καὶ τοὺς ἀποδιδόντας τὴν χάριν μᾶλλον ἐπαινοῦσι τοῦ στεφανουμένου. διόπερ τὸν νόμον τοῦτον ἡ πόλις γέγραφεν. Hoc argumentum „artificiose quidem confictum ac tanto in tali rerum discrimine

oratore dignissimum," quod laudat Westermannus,[1]) optime testatur, et qua diligentia caverit Demosthenes, ne propriam iuris quaestionem attingeret, et qua fuerit argumentandi ac detorquendi audacia. Simulata enim nimia modestia dicit, quod nequaquam credibile est, nihil interesse eius, cui donetur corona, ubi hoc fiat, in theatro autem si quis coronetur, non tam coronatum, quam ipsum coronantem populum laudari. Neque, quod bene annotat Weidnerus ad § 34, illud facile quis sibi persuadeat, peregrinos homines Atheniensis honore vere ad bene merendum de eius republica excitatos esse. Hoc quidem certe nemo non videt, quare Ctesiphon rogasset, ut praeconium in theatro fieret multo rectius significasse Aeschinem § 34 dicentem: *Κτησιφῶν δὲ* (sc. *κελεύει ἀνακηρύττειν*) *ἐν τῷ θεάτρῳ, οὐ τοὺς νόμους μόνον ὑπερβὰς, ἀλλὰ καὶ τὸν τόπον μετενεγκὼν, οὐδὲ ἐκκλησιαζόντων Ἀθηναίων, ἀλλὰ τραγῳδῶν ἀγωνιζομένων καινῶν, οὐδ' ἐναντίον τοῦ δήμου, ἀλλ' ἐναντίον τῶν Ἑλλήνων, ἵν' ἡμῖν συνειδῶσιν, οἷον ἄνδρα τιμῶμεν.*

Denique ipsa lege recitata breviter exceptionem affert et gravioribus additis conviciis rem derelinquit: § 121: *Ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς, πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· τούτους δ' ἀναγορευέτω; τί οὖν, ὦ ταλαίπωρε, συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπὶ τούτοις; ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνει φθόνου δίκην εἰσάγων, οὐκ ἀδικήματος οὐδενός, καὶ νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι, τοῖς γ' ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι;* Haec est mira refutandi ratio. Sane quod ipsam legem recitat eiusque formulam tam dilucide repetit, quodammodo captiosum videtur, tamen ne hoc quidem satis probatur legis sensum fuisse talem, qualem negat esse Aeschines. Westermannus autem quod laudat Demosthenis constantiam, quo veri fiat simillimum Aeschinem fraudem concepisse et aut falso interpretatum esse legem, aut exceptionem reticuisse, nescio, an eandem constantiam prae se ferat huius

---

[1]) Commentat. de praemiis et honor. Athen. p. 54.

argumentatio. Sed sive hunc, sive illum decurtasse legem aut depravasse vis, hoc unum constat, miram esse et iusto breviorem Demosthenis defensionem. Atque hoc non ignorant, qui eum defendunt. Quaesiverunt igitur, qua ratione explicari possit, cur Demosthenes rem tam leviter attigerit.

Ac primum quidem Frankius l. l. p. 379 dicit fere haec: „Respondere possemus: fallax legis interpretatio, quam protulit Aeschines, erat tam inopinata, Demosthenes adeo nihil ad eam refellendam praeparaverat, ut praeferret, ne verbo quidem ad eam respondere." Haec explicatio talis mihi videtur esse, ut vix a quoquam accipiatur. At mavult ipse aliter explicare; arbitratur enim potius Demosthenem, qui omnino huic defensionis parti parvam vim tribuerit, iudicibus permisisse Aeschinis argutias perspicere, ipsum autem satis habuisse ad clara legis verba provocare. Simili modo etiam Halmius suspicatur Demosthenem consulto tam neglegenter et quasi contemptim rem tractasse, ut inde statim pateret: „Dass es in einem politischen Tendenzprocesse nicht der Mühe werth erscheine, auf so kleinliche Nebenfragen nur näher einzugehen." At non debuit, credo, tam parvi aestimare tamque paucis absolvere id, in quo actor tantum momentum posuerat, nisi suspicionem movere volebat, sese ipsum causae parum confidere. Quam suspicionem mihi quidem motam et omni, qua hic usus est, dicendi ratione valde auctam esse confiteor, in qua non tam neglegentia, quam trepidatio quaedam ac praeceps festinatio eminere mihi videtur.

Sed proposuit Halmius aliam explicationem. Censet enim Demosthenem adversario acrius fusiusque non respondisse propterea, quod hic argumenta, qualia nunc extant, in iudicio omnino non protulerit, sed omnem hunc locum, quo de lege Dionysiaca agitur, postea demum, quum orationem edendam curaret, inseruerit.[1]) Idemque iam Spengelius

---

[1]) p. 15: Da das Plaidoyer über das dionysiche Gesetz bei Aeschines wenigstens nach unserem Urtheil ein durchaus hohles und bodenloses ist, so gewinnt die schon früher ausgesprochene Vermuthung, dass er

suspicatus est.[1]) Cui tamen sententiae accedere non possum.

Primum enim rursus respicienda est omnis Demosthenis dicendi ratio, quae talis est, ut non tam argumentari, quam se defendere, nec plane novum, sed ab adversario provisum et impugnatum argumentum proferre videatur. Deinde, ne ita coniciamus vetamur verbis: νόμους μεταποιῶν κτλ. Haec non in universum, sed de eis legibus dicta esse, quas Aeschines hac in parte adhibuerat, perspicuum est, nec fallamur, puto, cum Dissenio conicientes verba, quae illa subsequuntur, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη κτλ. maximopere propter legem Dionysiacam facta esse. Iam quum hoc etiam Halmius sentiat et crimen illud a Demosthene optimo iure factum esse dilucide dicat,[2]) ipse suae sententiae mire repugnat. Nam si Aeschines legem Dionysacam in iudicio non commemorasset, quomodo, eam mutilasse insimulari potuit? Quo igitur tum referenda essent haec verba, non video, nisi forte dicas Demosthenem totam legem Dionysiacam pro parte vetustioris legis habuisse et, quod hanc omisisset, Aeschinem criminatum esse, quod tamen parum credibile est. Contra nemo putabit ista verba postea demum a Demosthene inserta esse. Huc accedit, quod fieri vix potuit, quin Aeschines nosset, quomodo et qua lege adversarii se defensuri essent, praesertim quum veri sit simillimum Athenienses eosque, quos undique ad summorum oratorum contentionem audiendam Athenas concurrisse testatur Aeschines § 56, ante incoeptam causam permulta de ea disputasse et utriusque partis rationes praemeditatos esse. Quid igitur, certior factus, quo argumento reus usurus esset, hoc ne verbo qui-

---

diese ganze Partie erst später in seine Rede eingeschoben habe, sehr an Wahrscheinlichkeit.

[1]) l. l. p. 61: Die ganze Stelle über den νόμος Διονυσιακός (35—48) hat Aesch. vielleicht erst später als Prokatalepsis seiner Rede beigegeben, nachdem er im Gerichte erfahren, dass Dem. aus ihm seine Vertheidigung führte. Daher die Erklärung, dass dieser hier keine Anwendung finde.

[2]) p. 10. cum ann. 7.

dem attigerit, quamvis haberet, quibus illud refellere posset? Nam si non habuisset, certe ἀνάρρησιν omnino non in libello memorasset. Videmus igitur Halmii sententiam probari non posse; immo, si vere tale effugium mihi opus videretur, nescio an potius crederem Demosthenem eiecisse quaedam postea, quum ederet orationem, quae quam debilia essent, ipse sensisset. Ceterum etiamsi cum Halmio faceremus, non minus miranda esset brevitas et tenuitas defensionis, neque melius intellegi posset, cur Demosthenes legem alteram, quam unam Aeschines in libello adhibuerat, quaque totam hanc partem quasi substruxerat, tanto praeterierit silentio, ut nisi verba νόμους μεταποιῶν ad eam maxime revocas, arbitreris Aeschinem eam omnino non attulisse.

Eandem explicandi viam quam Halmius etiam Dissenius iniit, sed non eodem progressus est. Hic enim non totam partem posterius additam esse putavit, sed suspicatus id modo est, ut Demosthenis de exteris coronis silentium intellegeretur, Aeschinem in iudicio exceptionem legis omisisse, atque huc voluit spectare verba τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη. Huic autem sententiae recte iam obstitit Frankius l. l. p. 379 dicens: „Unmöglich ist das nicht, aber ganz unwahrscheinlich, da Aeschines die beiden Gesetzwidrigkeiten, die in dem Antrage, einen Rechenschaftspflichtigen im Theater zu bekränzen, zu liegen schienen, im Gegensatz zu Demosthenes von vornherein für viel zu wichtig ansieht, als dass er nicht einen so nahe liegenden Einwand des Gegners im Voraus bedacht haben sollte“. Quo accedit quod Aeschines legis Dionysiacae mentionem facere omnino non debuit, nisi etiam exceptionem attulisset, nam sola hac adversarii niti poterant, quod a Demosthene factum videmus. Praeterea ex tota ratione, qua Demosthenes exceptionem repetit, concluserim eam etiam ab adversario prolatam esse etsi aliis verbis vel alio subiecto sensu.

Quae si recte sunt disputata, corruunt etiam ea, quae Kirchhoffius in libello supra laudato p. 63 de hac quaestione disseruit; quae tamen ut paucis hic referam et corrigam, adducor eo, quod virum doctissimum mirum in errorem incidisse video. — Affirmat haud cunctanter exceptionem ab

Aeschine consulto aut casu (!) omissam itaque rem prorsus detortam esse. Confudit autem legem Dion. cum altera exceptionem cum hac non cum illa coniungens. Dicit enim ex eis, quae Demosthenes profert, elucere Aeschinem ad affirmandam suam rationem ex renuntiatione coronae sumptam in libello unam tantum ascripsisse legem, gravissimam autem huius partem sc. verba πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται omisisse. Quomodo, quaeso, hoc potuit? Sane, quod ipse Aeschines multo etiam magis quam Demosthenes testari mihi videtur, in libello una tantum lege nisus erat, at non Dionysiaca, sed vetustiore, quae coronas a populo datas in contione populi renuntiari iussit, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ. Legem Dion. in libello non adhibitam esse per se patet. Nam quid effici potuit hac, quam ad populi coronas nihil valere ipse orator contendit demonstratque, cuiusque sine dubio ne in iudicio quidem mentionem fecisset, nisi timuisset et scivisset eam ab adversariis usurpatum et alteri oppositum iri.

Quae quum ita sint, nequaquam me intellegere confiteor, quomodo in libello statim exceptio omitti potuerit, nec tam simplex mihi ac facilis hac de re defensio videtur fuisse, quam aestimat vir doctissimus dicens: „Demosthenes hatte also leichtes Spiel und durfte sich im wesentlichen darauf beschränken, diese Auslassung gebührend zu rügen, da der Punkt damit wirklich abgethan war“. Immo, demonstrandum aut, hoc si facere nolebat, etsi paucis disertis tamen verbis dicendum erat aut diu abolitam esse vetustiorem legem et fraudulenter in libellum receptam, aut sensum legis plane detortum. Kirchhoffius autem Demosthenis de hac lege silentium etiam auget, quum ne verba quidem νόμους μεταποιῶν eo referat, sed ad legem Dion., qua in re nisi fallor, Frankium (cf. p. 382) consentientem habet. Colligit enim ex eis, quae falso, uti vidimus, ante disseruit, totum locum esse interpolatum, verba τῶν δ' ante ἀφαιρῶν delenda et participium μεταποιῶν mutandum esse in μεταποιεῖν; „denn, ait, das dem Gegner vorgeworfene μεταποιεῖν bestand in nichts anderem als eben dem ἀφαιρεῖν μέρη, und was Aeschines in diesem einen Falle an einem Gesetze

thatsächlich verbrochen hatte, wird mit rhetorischer Uebertreibung durch die Anwendung des Plurals „Gesetze“ in zulässiger Weise geschickt generalisirt.“ Sed quum multo simplicius et aptius illa verba de altera lege intellegi possint, non est, opinor, cur ita coniciamus. Quantopere autem etiam Kirchhoffius sentiat ea, quae Demosthenes ad refellendas adversarii rationes profert, non sufficere, optime patet ex eis, quae deinde disserit: „Sodann lehrt die Vergleichung der Demosthenischen Erwiderung mit der Behandlung dieses Punktes bei Aeschines § 32—48, dass entweder letzterer diesen Theil seiner Rede bei Gelegenheit der Schlussredaction für die Herausgabe einer durchgreifenden Umarbeitung unterzogen hat, um die bei der öffentlichen Verhandlung erlittene Schlappe wohl oder übel zu verdecken, wobei Demosthenes' Rectification beherzigt, aber zugleich durch eine sophistische Deduction unwirksam zu machen in ziemlich ungeschickter Weise versucht wäre, oder Demosthenes vor Gericht diesen Punkt gar nicht oder doch in ganz anderer Weise behandelt hat, als dies in dem vorliegenden Texte geschieht.“ Quibus assentiri non possum. Id quidem nullo modo probari poterit, Demosthenem in iudicio quaestionem de renuntianda corona omnino non attigisse. Qua enim de causa hoc fecerit? Quod rem minutiorem habebat, quam quae commemoratu digna videretur? At nec fuit tam parvi momenti, nec debuit prorsus omitti, quod actor lege insuper addita in libellum receperat. Et cur, si tamen omiserat, postea fecerit, quod ante contempserat? Praeter hunc una tantum causa relinquitur, quae ut taceret adduci potuit, ea dumtaxat, quod non habuit, quae bene obiceret. Hoc autem minime concedat Kirchhoffius.

Paulo probabilior videatur altera, quam profert coniectura: Demosthenem coram iudicibus rem aliter tractasse, quam nunc fit in oratione tradita. Nimirum vult uberiorem fuisse eius defensionem. Sed ne hoc quidem conicere quidquam expediat Demostheni. Nam hoc si vellemus fieri vix posset, quin statueremus textum commutatum et amputatum esse ab ipso oratore; hunc autem expunxisse nisi quae de-

bilia nimis esse et facile refutari posse videbantur, quis credat?

Mea igitur sententia Demosthenes nec prorsus praeteriit hanc quaestionem in iudicio nec aliter de ea dixit quam scripsit. Idemque in universum quidem de Aeschinis actione censendum erit.

Sed utut hoc est, satis mihi demonstrasse videor Aeschinem nec exceptionem legis Dion. in iudicio suppressisse, nec totam partem, qua de hac agitur, postea demum inseruisse, quod Halmius ex Demosthenis inopia argumentorum colligere vult. Haec inopia igitur optime testatur non tam „vanam et infirmam" esse Aeschinis actionem, quam existimat vir doctissimus, nec scio, an hic ipse suam sententiam infirmat, quum dissertationis finem faciat hisce verbis: „Den Rhodiern mochte Aeschines ein langes und breites darüber vorschwätzen, wie es zu Athen mit den *ξενικοὶ στέφανοι* gehalten werde; einem Demosthenes hätte es sicherlich an dem verdienten Spott und Hohn über ein solches Gewebe von Sophismen nicht gefehlt." Quid enim reliquum est, nisi ut dicamus, si potuisset, sine dubio responsurum fuisse Demosthenem uti alibi ita etiam hic gravissimis rationibus sententiisque; quod quum non fecerit, patet eum non habuisse quae responderet.

Quibus absolutis liceat iam meam de lege Dionysiaca sententiam paucissimis adumbrare.

Primum igitur nequit dubitari, quin uterque orator eandem legem tractaverit; in hac autem scripta fuisse verba, quae Aeschines § 44 affert: (*διαρρήδην ἀπαγορεύει*) *μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μηδ' ὑπ' ἄλλου* (*φησὶ*) *μηδενός, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα,* testatur imprimis illud *φησὶ* insertum. Verumtamen his non totam legem, sed modo partem eius contineri docent illa Demosthenica: *νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι κτλ.*, quorum priora maxime de vetustiore lege, posteriora propter Dionysiacam dicta esse censeo. Quaeritur autem, quomodo haec percipienda sint. Quae si Demosthenem inspicimus proximum videtur, ut ad legis ex-

ceptionem referamus. Sed ad totam exceptionem referri non possunt, quoniam Aeschinem eam nec in oratione tradita nec in iudicio suppressisse supra contra Halunium demonstravimus. — At extant apud Demosthenem verba clausulae ἢ ἡ βουλή, quae quin in ipsa lege fuerint, non dubium est, quum antecedant: Ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς. Hoc additamentum non exhibet Aeschines, quamquam exceptionem tribus locis affert (§ 36, 47, 58). Sed ne huc quidem illud crimen revocaverim, quod Dissenius maxime vult, quia haec verba rei nullius fere momenti fuisse videntur, quod recte iam Frankius l. l. p. 382 Dissenio obiecit dicens: „Dazu scheint der Gegenstand zu geringfügig, wenigstens wissen wir keinen erheblichen Grund mit einiger Bestimmtheit anzugeben, welcher Aeschines bestimmt haben könnte, ἢ ἡ βουλή wegzulassen,“ unde simul patet eum censere, aut a Demosthene haec verba dolose addita, aut in oratione quidem, non in ipsa recitanda lege ab Aeschine omissa esse. Suspicatur autem Dissensius: „exterae coronae ut in theatro renuntiarentur non potuisse nisi a populo permitti,“ et Frankius annotat: „war dies der Fall, so hatte Aeschines allerdings Grund den Senat nicht zu erwähnen.“ Profecto, tum enim haec verba eius interpretationi minus favebant. Sed hoc quamvis veri sit simillimum, tamen nec satis exploratum est, nec tanti momenti, ut inde iam Demosthenis crimen satis explicetur. Quare verba τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη ita interpretanda esse credo, ut Aeschinem non totam legem, sed modo partem eius recitasse ac tractasse putemus nempe eam, qua adversarios se defensuros esse exspectabat (§ 35: καὶ χρήσονται τοῦ νόμου μέρει τινὶ κλέπτοντες τὴν ἀκρόασιν ὑμῶν); cuius rei in ipsa nostra oratione exemplum invenitur § 101, ubi distinctis verbis non totum populiscitum, sed partem eius recitari iubet. Quales autem fuerint ceterae legis condiciones, quas omisit, indagari nequit. Hoc tamen certum videtur, eas ad rem nihil valuisse (§ 36: καὶ παρέξονται νόμον οὐδὲν προσήκοντα τῆς τῇ γραφῇ, quod crimen ne verbo quidem refutatur a Demosthene!), neque vero omissas esse „quippequod malevolae eius legis interpre-

tationi nequaquam faverent", quae est Winiewskii sententia. [1]) Contra Demosthenes legem integram recitarit.

Haec omnia si recte disputavimus, apparet Aeschinem etiam hac in parte non tam cavillationibus, quam veris gravissimisque argumentis disceptasse, nec comprobandam esse Halmii, Schaeferi, aliorum sententiam, qui quum in eis, quae ad εὐθύνας spectant, concedant oratorem optimo iure Ctesiphontem accusasse, negant eum eodem iure coronae renuntiationem in theatro faciendam impugnasse. Immo in utraque re Aeschinem adversario multo superiorem legibusque mirifice adiutum fuisse arbitror, nec aliter mihi explicanda videtur Demosthenis tam tenuis debilisque iustoque brevior defensio. Singularis quidem totius causae gravitas erat haec, quod Aeschines invectus est in ommia, quae in republica gesserat Demosthenes, at tamen hic propriam iuris quaestionem tam obiter transire eo minus debuit, quum ne Ctesiphon quidem sua in oratiuncula ea, quae huc pertinebant, satis exsecutus videatur esse. Quod quidem ex Demosthenis defensione nullo modo colligi potest [1])

---

[1]) l. l. p. 357.

[2]) cf. Schaefer. III. 231 cum ann. 2.

EPILOGUS.

Ultima huius commentationis plagula typis iam exscripta librarii cura in manus mihi venit recentior Weidneri Aeschineae orationis editio, quae modo prelum reliquit (Aeschines Rede gegen Ktesiphon. Erklärt von A. Weidner, Berlin 1878). Hanc in ipso libello conscribendo respicere mihi non iam licuisse valde doleo. Hic quum plura facere nequeam, pauca addam haec:

In altera praemissae introductionis parte (inscripta: Der Kranzprocess p. 7—14) Weidnerus Schaeferi de intermissa et repetita lite sententiam comprobat, neque tamen confirmat ita, ut quae in cap. I contra eam protuli argumenta diluantur. Putat causam, cur Aeschines litem a. 330 persecutus sit, fuisse eam, quod senatus novum de coronando Demosthene consultum fecisset. Hoc pro certo habet (cf. p. 11: Und dass der Rathsbeschluss erneuert worden ist, diese Thatsache etc.) propter eosdem orationum locos, unde tale quid concludamus necesse non esse ostendi p. 16 sq. At etsi fuisset senatus consultum renovatum, certe non potuisset hoc impugnari ab Aeschines nisi nova accusatione instituta. De vetere autem lite, non de nova agi satis testantur orationes imprimis primum Aeschinis argumentum (ὑπεύθυνον). Hoc quum optimo iure prolatum esse concedat Weidnerus (cf. quae annotat ad § 13 et 16), ne eo quidem, quod Aeschines quartum illum καιρόν percensuit, viri doctissimi sententia firmatur (v. comm. ad § 55). Praeterea nonne denuo

si decretum factum fuisset, arbitrareris hoc ab ipso Demosthene commemoratum esse, qui quantus sibi in iterato decreto honor inesset, praedicare non omisisset? Nequit opponi eiusdem de dilatione litis silentium, quod quomodo explicari possit vidimus p. 9.

Cur Demosthenis studiosi effecerint, ut denuo fieret probuleuma, explicat p. 11 hisce: „Vor und während der Schilderhebung des Agis verhielt sich Athen zwar ruhig, aber die Stimmung der Patrirten war dennoch eine sehr erregte. Demosthenes stand den Aufständigen nicht fern. Aber ein Bündniss mit Agis zu befördern suchte, wissen wir nicht, so viel aber steht fest, dass sein Benehmen dem Antipater verdächtig erschien. Er wurde deshalb zur Verantwortung vor die Amphiktyonen während der Pythien des Jahres 330 geladen. — Die Antwort auf diese Vorladung sollte die richterliche Entscheidung der Athener über die Politik des Demosthenes und schliesslich die Ausführung der feierlichen Bekränzung sein.“ Quae si ita erant et vere, quod paulo ante (p. 10) dicit, ne post infelicem quidem seditionis exitum Demosthenis auctoritas minuta, sed etiamtunc tanta erat, ut Aeschini nihil esset spei causa vincendi („Auf Sieg war nicht zu rechnen“), cur, quaeso, tum iudicium postulavit, cuius ipsi turpissimum, adversario honestissimum fore eventum nescire non poterat quodque sine dubio ipsa hac de causa tamdiu effugerat? — Immo corona tum a senatu Demostheni denuo decreta, quam patet optimum fuisse testimonium, quantum etiamtunc Demosthenes apud populum valeret, itaque odium quidem Aeschini et iram in adversarium, certe non spem vincendi augere potuisse, credam hunc deterrendum magis quam excitandum fuisse, ut litem persequeretur. Quod ut faceret, eum solo legitimae poenae timore motum esse etiam Weidnerus negat. (ibid. „Das Strafgeld, welches er hätte erlegen müssen, wenn er den Process fallen liess, war so gering, dass es einen entscheidenden Beweggrund nicht abgeben konnte.“)

Eis igitur, quae vir doct. disseruit, non infirmari mihi, sed veri etiam similius factum esse confiteor: Aeschinem a. 330 litem non redintegraturum fuisse, nisi tempus

sibi oportunius putasset. Quod nescio, cur plane negandum sit.

Eis autem, qui cum viro doct. facere nequeunt, quin Demosthenem a. 330 in theatro corona decoratum esse putent, nihil erit reliquum nisi conicere post actam demum litem novum decretum latum et a senatu populoque statim scitum esse.

In his quum Weidnero accedere non possim, nequit dici quanto gaudio affectus sim, quod ex recentiore magis etiam quam ex priore editione vidi hunc in aliis fere omnibus quaestionibus II. et III. capite tractatis mecum consentire, ita ut singula hic enarrare non opus mihi videatur esse. Inspicias igitur et compares in hoc meo libello perlegendo ubique viri doct. commentarium.

VITA.

Ludovicus Aemilius Joannes Baerwinkel natus sum Lipsiae ante diem VI. Id. Ian. MDCCCLII. Et patrem Frid. Aug. Eduardum et matrem Luisam e gente Sulzeriana acerba morte mihi abreptam esse valde doleo, hanc ante hos II annos, illum iam anno h. s. LXVII, quum linguae latinae rudimentis ab amatissimo viro D. Fr. Wetzelio protodidascalo nunc emerito institutus vix in scholam receptus essem, quae est ad aedem S. Nicolai Lipsiique auspiciis tum florebat. Fidei addictus sum evangelicae. — Postquam gymnasium per annos quinque et sex menses frequentavi, in academia patria inde ab anno LXXIII studiis philologiae deditus scholis interfui Arndtii, Birnbaumii, Brockhausii, Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Heinzei, Hildebrandii, Langei, Lipsii, Masii, Philippii, Ritschelii, Roscheri, Voigtii, Zarnckei. Seminarii philologici per compluria semestria fui sodalis non ordinarius, societatis Ritschelii philologae socius per annum, per sex semestria frequentavi Lipsii societatem antiquariam, Eckstenii seminarium paedagogicum per unum. — Exeunte h. a. mense Ian. Sondershusam me contuli, ubi nunc in gymnasio principali magistri munere Kieseri directoris benignitate ad tempus mihi delato fungor. Huic omnibusque viris doctissimis et summe venerandis, quorum scholas frequentavi, imprimis Lipsio praeceptori carissimo optimeque de me merito gratiam quam maximam habeo semperque habebo.

YB 00255

471728

Barrwinkel

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY